Predicti autem de Consches in contrarium allegauerunt quod ipsi inter se et de per se eligere et constituere debent et possunt unum maiorem et de per se habere truncum et patibulum atque forum apud Consches, et quod ille maior ibidem potest determinare et expedire causas ciuiles et criminales iuxta suorum iuratorum et parrochianorum de Consches sententiam et cognitionem causis et rationibus infrascriptis: primo enim quod ab antiquitus apud Consches fuerit maioratus hereditarius qui redemptus fuerit, in qua reemptione ipsi soluerint ipsorum ratam precii; item quod ipsi habent et habuerunt semper de per se vnum salterum et vexilliferum et proprium panderium; item quod ipsi de per se tempore et spatio viginti annorum iam lapsorum et vltra habuerunt maiores et iudicium, quos maiores domini episcopi Sedunenses ipsis confirmauerunt, et absque contradictione et oppositione illorum de Aragno; ac pluribus aliis causis et rationibus per ipsos de Consches verbotenus allegatis et replicatis, tandem nos predictae communitates parrochiarum predictarum post multas et diuersas allegationes et replicationes per ipsas partes hinc inde factas in huiusmodi causa quod non opus est per singula narrare, predictis questionibus et altercationibus sedandis et concordandis et futuris periculis que inde inter nos oriri possent tollendis submisimus nos pure et libere cognitioni, pronuntiationi, ordinationi et declarationi omni contradictione cessante prudentum et discretorum virorum Johannis de Prato de Seyt, olim balliui Vallesii, Martini Züren castellani Brige, Gaspardi Partitoris dicti loci, Johannis Owling de Mont, Symonis Venetz de Narres, Nicolai Frantzen maioris Morgie et Anthonii Nusboumer salteri eiusdem loci, arbitrorum et amicabilium compositorum ad hoc specialiter per ambas partes electorum et suis bonis voluntatibus et affectionibus congregatorum et a deseno de Briga destinatorum ad concordandum premissa.

Qui quidem arbitri ad hec ab ambabus partibus plenam et omnimodam potestatem habentes, visis et auditis ac sane intellectis partium predictarum discordiis, altercationibus, allegationibus et replicationibus hinc inde per ipsas partes allegatis et replicatis cognouerunt, ordinauerunt, pronunciauerunt, declarauerunt et arbitrati sunt super premissis prout infra:

Et primo quod exnunc in antea in perpetuum sit et esse debeat in dictis ambabus parrochiis scilicet in deseno a monte Dei superius nisi vnus maior, prout et sicut ab antiquitus fuit, qui maior eligi debet et potest vno anno per homines parrochie de Consches videlicet in parrochia de Aragno tamen cum voluntate et consensu hominum et parrochianorum ipsius parrochie de Aragno, et reciproce alio anno homines parrochie de Aragno eligere possunt et debent cum tamen voluntate et consensu hominum et parrochianorum de Consches vnum maiorem in parrochia de Consches a ripa de Rekingen superius et non in comitatu, saluo tamen et reseruato si dicte communitates mutuo consensu et voluntate vnum de comitatu in maiorem eligere voluerint, vt premittitur, quod hoc facere possint, non derogando in hoc suis iuribus in presenti concordia et declaratione, et talis electio et constitutio maioris fieri debeat per dictas partes modo premissis singulis annis, saluo tamen si homines ipsarum parrochiarum vnum maiorem constitutum mutuis voluntatibus et consensu pluribus annis habere vellent.

(2.) Item quod idem maior assumere et capere debeat iuratos in ambabus predictis parrochiis et iudicare seu iudicium tenere videlicet in die mercurii apud Aragno et in die lune apud Consches.

(3.) Item quod altum iudicium furce et truncus ac locus et carceres captiuorum sint et esse debeant exnunc in antea in perpetuum videlicet apud Aragno, vbi ab antiquo fuisse asseruntur.

(4.) Item quod nulla causa criminalis tangens honorem vel sangwinem audiri nec iudicialiter agitari debeat in ipso deseno nisi apud Aragno.

(5.) Item quod idem maior omnes alias causas prophanas et ciuiles personarum superioris parrochie sangwinem et honorem non tangentes audire et expedire inuestiturasque dare possit et valeat ad bancum de Consches ita bene sicut in Aragno.

(6.) Item quod si aliqua clama fieret de quacunque persona parrochie de Consches pro causa criminali, ita quod ob talem causam corpus ipsius persone ad iustitiam poneretur, seu per ipsum maiorem captiuaretur, eo casu ipse maior ipsam personam detentam habere debet in ipsa parrochia de Consches, et si causa tantum leuis fuerit, quod per cognitionem et sententiam iuratorum deseni a monte Dei superius que tamen fieri debet apud Aragno, talis persona ordinabitur relaxari ad cautionem prestandam, tunc eandem personam

dimittere debet in dicta superiori parrochia. Si vero talis persona per sententiam prementionatorum iuratorum declarabitur et condemnabitur detinenda et ad cautionem non relaxanda, ipse idem maior dictam personam ducere debet et potest apud Arangno et ibidem incarcerare et iustitiam secundum meritum cause de tali persona facere apud Aragno in loco debito et consueto.

(7.) Item quod omnes cause, que deducuntur coram iuratis deseni a monte Dei superius, expediri et determinari debeant et teneantur apud Arangno et non apud Consches, saluo tamen et expresse adiecto, quod quidquid idem maior expedire possit, possit apud Consches cum suis iuratis eiusdem loci in causis sangwinem et honorem non tangentibus personarum eiusdem parrochie absque iuratis suis de Arangno, quod hoc sibi maiori licitum sit et hoc facere potest. Ita tamen quod nulla causa determinata apud Consches per appellationem deducatur vel trahi possit nec valeat extra desenum a monte Dei superius, quin prius ipsa appellatio et causa deducatur coram iuratis ipsius deseni apud Arangno reuidenda et cognoscenda per eosdem iuratos.

(8.) Item quod omnes sententie dande per iuratos ambarum parrochiarum, quibus dicitur iurate sententie, non debent dari seu fulminari nisi apud Aragno et non alibi.

(9.) Item quod parrochiani de Arangno pro debitis et pignoribus et aliis causis prophanis debeant ire apud Consches et ibidem coram maiore deseni petere et requirere iustitiam ab illis de Consches, si quid ab eis petere et habere velint.

(10.) Item quod pro omnibus negotiis communibus dictum desenum tangentibus pro habendo consilium super responsione fienda alicui domino vel aliis personis aut communitati aut aliis causis arduis ipsius deseni ipsi de Consches debent venire apud Aragno et ibidem cum eisdem de Aragno consulere et respondere iuxta exigentiam et meritum cause.

(11.) Item quod commune forum siue nundine esse et remanere debeant et teneri apud Aragno cum suis libertatibus, prout ab antiquo consuetum fuit, saluis tamen et clare preresuatis in premissis predictis de Consches consuetudinibus suis in pignoribus ducendis et taxandis inter se, saluo etiam in omnibus premissis tenore nouorum statutorum patrie Vallesii.

Que quidem omnia et singula premissa capitulariter vt premittitur per eosdem arbitros et amicabile compositores ordinata, pronunciata, declarata et arbitrata nos dicte commu-

nitates et homines communitatum parrochiarum predictarum de Arangno et de Consches pro nobis et nostris heredibus et successoribus promittimus per iuramenta nostra corporaliter ad sancta Dei ewangelia prestita et sub obligatione expressa omnium et singulorum bonorum dictarum communitatum mobilium et immobilium presentium et futurorum habere et obseruare, vt quamlibet parcium tangunt tangereque possent in futurum perpetueque et obseruari facere, rata grata firma et valida attendere et tenere et nunquam contra facere dicere vel opponere aliqua causa vel ingenio in iudicio nec extra neque alicui contraire volenti in aliquo consentire; in quorum omnium et singulorum robur et testimonium veritatis duplices et consimiles litteras fieri iussimus cuilibet parti vnam et sigilli nostri deseni a monte Dei superius appensione muniri.

Datum et actum apud Blitzingen die quindecima mensis aprilis sub anno Domini millesimo quatercentesimo xl septimo et indictione decima.

de requisitione et iussu
prenominatorum arbitrorum.

Johannes de Pileo de Briga
notarius publicus.

Nr. 425.

**Vereinbarung zwischen den Gemeinden Münster und Ernen
über gerichtsherrliche und andere Rechte.**

Ernen, 1563, December 2.

(Nach dem Original im Pfarrarchiv Ernen A 55, Perg.)

Anno MDLXIII, 2a die decembris Aragni in stupha domus Johannis am Bort alias maioris in mei notarii presentia fuerunt constituti (*folgen die Namen*) tamquam procuratores a communitatibus parrochie Monasterii actores ex una, et... procuratores ab omnibus quarteriis parrochie Aragni defendentes ex altera partium, et quum altercatio inter predictas communitates coram episcopo, ballivo et oratoribus omnium sex inferiorum desenorum suborta fuerit nec sedata perseveraverit, ex eo quod homines communitatis parrochie Monasterii inter se unum maiorem et iudicem eligere pretendebant necnon truncum et patibulum in parrochia Monasterii erigere et jurisdictionem suam separatam et divisam ab illis de Aragno habere, causas item civiles, criminales et arduas sanguinem et honorem concernentes judicialiter finire et determinare apud se nitebantur et moliebantur, insuper quod ipsi

de Monasterio pro omnibus causis et negotiis magni ponderis sive sit pro responsione danda alicui principi, communitati vel aliis privatis personis, sive etiam pro arrestis dominorum patriotarum addicendis pro sua parrochia tamquam dimidio deseno consimilem potestatem quemadmodum et illi de Aragno habere affirmabant, preterea quandoquidem actores banderetum a multis annis citra in ipsorum parrochia habuerint, et sepenumero defuncto uno bandereto alius eiusdem parrochie Monasterii banderetus eidem mortuo successerit, quapropter officium bandereti unacum banderia (quam titulo eidem inscripto sibi vendicant) ipsis adjudicari affirmabant, deinde actores omnium instrumentorum, libertatum et privilegiorum desenum indivisim tangentium et in cista Aragni latentium participes fieri petebant.... (*Die Beklagten berufen sich dagegen auf den Schied von 1447.*) Tandem ambe partes invicem amicabiliter et concorditer convenerunt et declarationes infrascriptas fecerunt:

(1.) Quod abinceps in deseno a monte Deysch superius quousque jurisdictio maioratus deseni se extendit, debeat esse nisi unus maior, qui quotannis ad Calendas Maii ex altera dictarum parrochiarum alternatim eligi et constitui debeat... (*laut Brief von 1561, Nov. 23, s. Uebersicht No. 424.*)

(2.) Quod homines communitatis parrochie Monasterii (utpote dimidius desenus) possint episcopis, ballivo, communitatibus aut aliis privatis personis pro omnibus evenientibus negotiis per se suam responsionem dare nec astricti sint prius cum illis de Aragno consulere et deliberare.

(3.) Quod parrochiani de Monasterio sententias juratas et empticias cavere pariterque causas criminales tangentes sanguinem et honorem audire et judicialiter agitare in ipsa superiori parrochia in causis personas ipsorum parrochie concernentibus possint quemadmodum et illi de Aragno.

(4.) Quod casu eveniente quo aliqua persona parrochie Monasterii ob aliquam diffamationem et intitulationem in eadem parrochia penes justitiam detinenda cognosceretur, quod talis sententia detentoria possit et debeat ibidem Monasterii ferri et eadem persona ibidem incarcerari, et si demeritum detente persone adeo leve foret ut per cognitionem juratorum ipsius parrochie Monasterii eidem incarcerate persone deffensio admitteretur, et super cautione ydonea relaxaretur, quod in eum eventum talis intitulata persona in parrochia Monasterii suas deffensiones facere possit; si vero eidem mancipate persone sententialiter deffensio denegata fuerit, tunc sententia ad questionis funem etiam Monasterii ferri et post latam eam

sententiam ad torture tormenta dicta detenta persona Aragnum duci debeatur et ibidem carcerari et questionis tortura cum eadem juxta persone demeritum et sententiam juratorum procedendum.

(5.) Quod commune forum sive nundine esse debeant apud Monasterium, sub tali condicione quod si illi de Aragno pariter nundinas tenere velint, quod etiam sibi id licitum sit.

(6.) Quod pro conservandis omnibus rebus, instrumentis et sigillo deseni ambe parrochie equalibus expensis debeant confici procurare novam cistam munitam duabus bonis seris, cuius ciste binas claves quelibet parrochia unam conservare debeat, aut si ipsi de Monasterio malint, possint copias omnium federum et libertatum in totius deseni expensis sumere et in cistam suam Monasterii conservare.

(7.) Ultimatum quoad constitutionem bandareti et banderie inter partes ordinatum est, quod dehinc bandaretus ex ambabus parrochiis alternatim eligi debeat vita cuiuslibet bandareti pro tempore electi durante, incipiendo nunc in superiori parrochia, nempe quod bandaretus modernus dictam banderiam quamdiu vixerit habere debeat, in parrochia Aragni vero capitaneus deseni et signifer eligi et eo officio quamdiu bandaretus vixerit fungi debeant, defuncto autem bandareto alius ex parrochia Aragni eius vices subire et dignitatem bandareti dum in vivis fuerit habere debeat, offitiumque capitaneatus et signiferi in alia superiori parrochia provideri teneatur, et sic in evum alternatim. Tali addita declaratione, quod in eligendo novo bandareto communitates ambarum parrochiarum ad locum solitum gan Blytzingen ornate et armate ad huiusmodi electionem convenire debeant. Casu contingente quo capitaneus deseni ab hac luce ante bandaretum migraret, tum communitas eius parrochie, in qua capitaneus redintegrandus est, possit unum in capitaneum eligere accersitis duntaxat a quolibet quarterio alterius parrochie duobus viris. Denique quum in qualibet parrochia privata sit banderia et specialis titulus, conventum est quod banderie quam Aragni habent, affigendus sit titulus vulgariter **Ernen und Münster**, necnon banderie Monasterii inscribi debeat titulus vulgariter **Münster und Ernen**. Et in casu quo bandaretus alteram earum banderiarum ad aciem portare (quod Deus avertat) cogeretur, quod tum bandaretus banderiam eius parrochie quam inhabitat nomine totius deseni portare debeat, et quelibet interim dictarum banderiarum in sua parrochia permanere et necessitate postulante renovari debeat.

(8.) Postremo conclusum extitit, quod omnia alia instrumenta, que communitates ambarum parrochiarum invicem habent, in omnibus reliquis punctis et clausulis in presenti instrumento non comprehensis et seclusis in omni vi et robore esse et permanere debeant, prout et quemadmodum hactenus fuerunt.

Hisce debeat omnis dictarum communitatum lis, discordia et altercatio omnino sopita et sedata esse bonaque pax, amicitia, tranquillitas et vicinitas quemadmodum decet exerceri, tamquam talis differentia numquam suborta fuisset.

Quas conventiones... juramento promiserunt habere rata, grata, firma et valida etc.

In der Sammlung der Abschiede des Walliser Landraths steht unter dem 28./29. April 1563: „Münster begehrt seinen eigenen Richter oder Meier nach Laut erblichen Kaufs von Altersher gebraucht forthin selbst zu besetzen und sein eigenes Banner zu haben und seinen Weibel, auch Stock und Galgen und zu richten was Ehr und Blut antrifft. Ernen bestreitet denen von Münster dieses Recht. Beide Theile werden auf den ordentlichen künftigen Maienlandrath remittiert. Betreffend den Richter oder Meier zu setzen ist unser endliches Urtheil, dass derselbe auf ersten künftigen Maitag soll besetzt werden nach Laut der Schrift vor zwei Jahren aufgerichtet, und wird hierin keine Appellation zugelassen.“

Nr. 475.

**Bestätigung alten Gewohnheitsrechts von St. Maurice über
Erbgang, Schenkungen und eheliches Güterrecht.**

Sitten, 1575, December 10.

(Nach dem Original im Gemeindearchiv St. Maurice, prächtigem Pergamentheft von durchgeschlungener rother und weisser Seidenschnur mit den Siegeln des Bischofs und des Landeshauptmanns zusammengehalten.)

Nos Hildebrandus de Riedmatten, diuina fauente clementia episcopus Sedunensis praefectus et comes patriae Vallesii, Johannes Inalbon balliuis et senatores conscripti omnium septem desenorum praedictae prouinciae Vallesianae subnominati, scilicet Petermandus de Platea bandaretus, Bartholomaeus Supersaxo castellanus, Marcus Lupi olim regii exercitus Galliae dux, Johannes de Vex signifer Sauisiae pro et nomine ciuitatis et deseni Sedunensis, Franciscus Emerici castellanus, Franciscus de Platea bandaretus, Jacobus Massyz

vicecastellanus Annuisii pro deseno Sirri, Petrus Ambyell maior Leucaae, Johannes de Cabanis capitaneus deseni, Nicolaus Gasner pridem maior nomine deseni Leucaae, Johannes Roten maior, Stephanus Berolt¹⁾ alias maior, Cristandus Ryter maior Morgiae, Petrus Ouwlig notarius et pridem maior pro deseno Raroniae, Petrus Anthanmatten castellanus, Simon Summermatter pridem castellanus, Johannes Ryedgii olim gubernator Vallis Alpium, Anthonius Perren maior Prato-bornii nomine deseni Vespiae, Johannes Imturting castellanus, Caspar Pfaffen pridem castellanus pro deseno Brigae, Matheus Schiner capitaneus deseni, Johannes in Superiori Villa alias maior et Martinus Jost notarius pro et nomine deseni Conches, Seduni ad consilium nostrum generale et ordinarium celebrandum pro reipublicae nostrae negotiis pertractandis vniuersaliter congregati, vniuersis et singulis tam praesentibus quam posteris has visuris lecturis vel audituris notum pariter et manifestum fieri volumus, quod cum superioribus annis per Dei optimi maximi gratiam et inspirationem et in sui sacrosancti nominis laudem et honorem, iustitiae cultum, virtutum incrementum, scelerum correctionem, litium abbreviationem, subditorum quietem et vtilitatem, totius denique a Deo nobis conceditae reipublicae prosperum et pacificum statum pro nobis nostrisque successoribus ac posteritate perpetua certa statuta, sanctiones et leges conditae et conscriptae et inde vnanimi voto et consensu non solum per nos episcopum praelibatum et venerabile capitulum Sedunense hominesque communitatum omnium septem desenorum huiusmodi patriae approbatae, sed etiam omnium sigillis ad perpetuam rei firmitatem et robur confirmatae et corroboratae fuerint²⁾, et cum ex institutione, confirmatione et quotidiano vsu praedictorum statutorum haud vulgarem et mediocre fructum, sed messem largifluam enasci percenserimus, aequum et perutile futurum esse duximus, huiusmodi statuta fidelibus et dilectis subditis nostris a Morgia Contegii inferius communicare et eosdem subditos nostros qui hactenus dispositioni iuris ciuilibus subditi certisque aliis consuetudinibus tam scriptis quam non scriptis vsi fuerunt, statutis et legibus nobis facere pares, et hanc mentem et voluntatem nostram praedictis subditis declarandam et de communitate ad aliam communitatem proponendam commisimus spectabilibus prouidis viris dilectisque consiliariis nostris Philippo de Torrente ca-

¹⁾ In der Ausfertigung für Entremont (Nr. 488): Berolet.

²⁾ Im Original steht fuerunt.

pitaneo deseni Sedunensis et Petro Ambuell nuper praesulī Montheoli et nunc maiori deseni Leucensis, qui cum eorum legationis causam coram omnibus communitatibus gubernii Sancti Mauritii Agaunensis¹⁾ exposuerint, illico morigerum et promptum responsum acceptationis dictorum statutorum ab hominibus singularum communitatum praedicti gubernii²⁾ acceperunt, sub tamen nonnullis exceptionibus et reseruationibus circa testamenta, substitutiones, donationes, successiones et certas alias eorum leges et consuetudines tam de iure scripto quam ex usu ab immemorabili tempore citra (vt asserebant) approbato et eisdem communitatibus per nos et antecessores nostros diuersis temporibus obseruari promissis et hucusque obseruatis.

Qui quidem legati nostri superius nominati syndicos et procuratores singularum communitatum super exceptionibus et reseruationibus supra requisitis coram nobis ad praesens generale nostrum consilium pro declaratione nostra desuper fienda comparituros remiserunt.

Comparuerunt itaque die praesenti coram nobis episcopo praefato balliuoque et oratoribus superius nominatis discreti et nobis dilecti viri Hugonius de Pratis notarius, Petrus Guilmernyn alias Charpillion tamquam syndici hominum communitatis villae nostrae Sancti Mauritii Agaunensis, associati prouido viro Petro Quartery notario castellano et capitaneo nostro dictae villae, et eruditus viris Claudio Cattellani signifero, Gaspardo Quartery curiali, Mauritio Treyvensodi notario et dictorum syndicorum consiliariis, constantibus litteris syndicalibus seu procuratoriis inde datis, receptis, scriptis et subsignatis per litteratum virum Anthonium Oddeti notarium sub anno praesenti die vero prima mensis Ianuarii, qui quidem syndici et consilarii superius nominati suis et hominum totius communitatis castellaniae et banderiae Sancti Mauritii Agaunensis nominibus³⁾ tamquam ad infrascripta destinati et

1) In der Ausfertigung für Entremont: coram omnibus communitatibus banderiae Intermontium. In der für Nendaz: coram communitate banderiae Contegii. In der für Leytron: coram communitatibus castellaniae Leitroni.

2) Entremont: praedictae banderiae. Nendaz: communitatis Nendae. Leytron: communitatis castellaniae Leitroni.

3) Ausfertigung für Entremont: Comparuerunt itaque die praesenti coram nobis episcopo praefato balliuoque et oratoribus superius nominatis discreti et honesti viri Anthonius Ribordi, Sebastianus Denouasella notarius, burgenses Sancti Brancherii nomineque sindicorum eiusdem loci, Nicodus Williermolaz mistralis Orseriarum, Michael Baulx syndicus Orseriarum,

expresse missi statuta nostra superius mentionata nouiter per nos sancita et confirmata in omnibus suis membris, capitulis et clausulis singula singulis referendo denuo et iterum acceptauerunt et approbauerunt, eisdemque in futurum tam in iudicio quam extra pro lege et sanctione inuiolabili vti promiserunt, saluis et reseruatis quibusdam capitulis, ipsis dudum tam de iure scripto quam de laudabili consuetudine approbatis, quae quidem capitula singillatim hic inferius descripta ad praenominatorum humiles preces hominibus praedictae castellaniae et banderiae Sancti Mauritii Agaunensis¹⁾ et eorum successoribus concessimus et admisimus tenoreque praesen-

Stephanus Marignyes de Liddes, Franciscus Chaland syndicus Liddarum, Petrus Chaland burgensis Burgi Sancti Petri Montis Jouis, et Petrus Thyod syndicus dicti Burgi Sancti Petri Montis Jouis, Guiliermus Ginaz vti consyndicus vallis de Bagnyes, associatus honestis viris Cristophoro Bruchex capitaneo Intermontium, Claudio Medici notario, Francisco Grossi tam consiliariis quam aliis procuratoribus et nunciis communitatum vallis de Bagnyes, necnon (*Lücke*) Plassod alias Girod vti consyndicus communitatis Vollegii, tamquam syndici, procuratores, consilarii et nuncii pro parte totius banderiae Intermontium constituti et specialiter ad infrascripta peragenda vt dicebant missi, qui quidem syndici et consilarii superius nominati suo et hominum totius communitatis banderiae Intermontium nominibus.

Ausfertigung für Nendaz: Comparuerunt itaque vnanimiter Mauritius Fregant, Leodegarius Mischellet et Johannes Wultoz de Classendichia vti syndici communitatis Nendae, vna cum erudito viro Stephano Albi notario et locumtenente Nendae, pro et nomine hominum totius communitatis parrochiae Nendae, qui quidem syndici et consilarii superius nominati suis et hominum totius communitatis et parrochiae Nendae nominibus.

Ausfertigung für Leytron: Comparuerunt itaque reuerendus dominus Karolus de Montheolo curatus, et nobilis ac generosus vir Johannes de Montheolo vicedominus Leitroni, ac generosus nobilis et egregius Franciscus de Montheolo vicedominus Ardoni et Chamoson filius quondam nobilis et potentis Bartholomaei de Montheolo vicedomini Leitroni, pro semet ipsis, necnon probi viri Petrus filius Ludouici Michaelis et Bartholomaeus Arbor, tamquam procuratores et nuncii hominum et communitatis totius parrochiae Leitroni, associati honestis viris Martino de Via officario, Johanni Theodulo Thaux locumtenenti nobilis vicedomini, Petro Michaelis, Claudio Arbor, Theodulo Jittyour et Francisco Correon eorum consiliariis, qui syndici et consilarii superius nominati suis et hominum totius communitatis castellaniae et banderiae Leitroni nominibus.

¹⁾ Entremont: hominibus praedictae communitatis Intermontium. Nendaz: hominibus communitatis et parrochiae Nendae. Leytron: hominibus praedictae parrochiae Leitroni.

tium admittimus, ipsa quoque capitula subscripta in quantum illa se extendunt loco statuti et tamquam statuta ipsa per quoscunque obseruari volumus et secundum dicta capitula et statuta nostra superius mentionata in posterum vnicuique ius reddi et intra limites castellaniam praedictae¹⁾ iustitiam ministrari iubemus, saluis quoque et reseruatibus libertatibus et franchisesiis praedictae communitati ante hoc per nos indultis, scripto concessis et sigillatis, quibus praedicta statuta derogare non debeant, iuribus tamen nostris quibuscunque illaesis remanentibus. Quorum articulorum ordo sub rubrica et titulo cuiuslibet eorundem hic sequitur et est talis.

Primum Capitulum.

De modo succedendi directe.

Bona personae decedentis ab humanis intestatae perueniunt ad liberos suos legitimos a proprio suo corpore procreatos superstites, et si non relinquat liberos legitimos, pater et mater ipsius defuncti aequaliter cum aliis fratribus et sororibus defuncti vtroque latere iunctis aequalibus portionibus eidem defuncto succedunt in omnibus suis bonis mobilibus et immobilibus, et hoc ad mentem et formam articuli libertatis et franchisesiae burgensibus dictae villae²⁾ concessae ita sonantis: *Item quicumque burgensis dicte ville decesserit etc.*³⁾

Deficientibus autem patre et matre et aliis fratribus et sororibus vtroque latere iunctis eorumque liberis legitimis, tunc demum succedunt et succedere debent fratres et sorores saltem vno latere iuncti, postpositis patruis, auunculis, cognatis et collateralibus decessorum, ex quo de iure et secundum gradus consanguinitatis lineam sint et censeantur proximiores, ita tamen quod paterna paternis, fratribus seu sororibus, materna vero maternis perueniant. In aliis autem acquisitis et donatis bonis aequaliter succedant.

Cum vero dictis fratribus et sororibus vno tantum latere iunctis ad successionem vero suorum nepotum admittitur auus et auia superuiuens hoc modo, scilicet in acquisitis et donatis quae non descendunt aut proueniunt a latere vnde

¹⁾ Entremont: intra limites banderiae praedictae. Nendaz: intra limites communitatis praedictae. Leytron: intra limites castellaniam Leitroni.

²⁾ Ausfertigung für Leytron: dictae parrochiae. Entremont und Nendaz haben eine andere Fassung dieses Capitels (s. unten Nr. 488 u. 555).

³⁾ Libertates et franchisesiae Sti Mauritii ab Amedeo comite concessae a^o 1317, aug. 5; bei Gremaud, III Nr. 1401, art. 8 (p. 283).

dicti fratres aut sorores vterini defuncto iunguntur, ea bona iisdem auo et auiae superstitibus in solidum pertinere debeant, illis autem etiam deficientibus fratribus et sororibus tam vtroque latere quam vno iunctis eorumque liberis ius repraesentationis habentibus in stirpes et non in capita succedentibus, succedunt ab intestato proximiores in gradu consanguinitatis tam ex latere paterno quam materno, tam ascendendo quam descendendo, vsque ad quartum gradum inclusiue, gradibus computatis ad formam franchisesiae secundum canonicam aequitatem, non habito respectu vnde bona processerint, sed qui proximior in gradu, proximior etiam in successione hereditatis habeatur.

(Cap. II.) De testamentis ordinandis.

Liceat cuilibet personae burgensi Sancti Mauritii Agauensis¹⁾ legitimae aetatis et cui de iure potestas testandi, donandi, legandi et codicillandi est admissa, testari et ordinare ad formam iuris et articuli franchisesiarum²⁾ ita sonantis, et si decedens de bonis suis ordinauerit inter viuos per donationem vel alio modo aut in vltima voluntate testando, codicillando, legando, donando causa mortis, ordinatio eius valeat et inconcussa teneatur cuiuscunque conditionis existat, siue sit legitimus siue bastardus, siue etiam vsurarius manifestus, dummodo facultatem legitime testandi non excedat, iuraque alti Domini et Principis illaesa remaneant.

Hac quoque adiecta declaratione, quod parentibus non liceat eorum filios legitimos vltra sanctiones statuti patriae nostrae exhereditare, nisi comperiantur ingrati, id est committentes aliquod delictum, ob quod secundum iuris ciuilis dispositionem hereditate parentum priuari queant, quod delictum in casu exhereditationis in ipso testamento exprimi et specificari debet.

(Cap. III.) De substitutionibus.

Tum etiam quia de iure scripto quam etiam laudabili atque approbato vsu et consuetudine in tota castellania ac banderia Sancti Mauritii³⁾ substitutiones sunt et fuerunt suis

¹⁾ Entremont: cuilibet personae dictae banderiae Intermontium. Nendaz: cuilibet personae communariae dictae parrochiae Nendae. Leytron: cuilibet personae burgensi parrochiae Leitronis.

²⁾ Entremont: franchisesiae.

³⁾ Entremont: in tota banderia Intermontium. Nendaz: in tota parrochia Nendae. Leytron: in tota castellania et parrochia Leitronis.

veris heredibus admissae, liceat igitur cuilibet testatori substituere suis liberis legitimis heredibusque institutis vnum alteri seu aliis vsque ad vltimum suorum liberorum heredum et alias cui vel quibus suis liberis placuerit, et defectu suorum liberorum heredum eisdem alios suos parentes et consanguineos seu alias personas quas maluerit, vsque ad tertiam substitutionem, nisi institutus heres testamentum validum fecerit et aliter de bonis suis disposuerit, prout facere potest, dum peruenerit ad aetatem legitimam testandi; bona vero per heredem institutum vendita et alienata substitutus repetere non potest, hoc addito quod in praeiudicium iurium principis et dominorum substitutio nulla locum habeat.

(Cap. IV.) **De institutione dotis filiarum legitimarum.**

De vsu approbato ac antiqua consuetudine infra totam banderiam Sancti Mauritii¹⁾ obseruata constat, quod parentes in contractibus matrimonialibus suarum filiarum legitimarum seu alias per ordinationes vltimarum voluntatum dotem pecuniam pro iuribus suis paternis et maternis constituent cum legitima, mediante qua institutione dotis dictae filiae de consensu suorum maritorum quittance facient eisdem suis parentibus de omnibus bonis et iuribus earum²⁾ paternis et maternis; sciendum est quod illa quittance habeat locum et inuolabiliter obseruetur, nec licet abinde dictis filiabus seu earum legitimis heredibus quidquam petere nec querelare super dictis bonis cessis et quittance seu alias in dotem siue portionem constitutis per earum²⁾ parentes scilicet patrem et matrem tam in testamento quam alias quomodocumque nisi in casu legitimae euectae, quae non intelligitur per mortem dictorum suorum parentum, nisi in casu quo non haberent seu decederent ab humanis sine aliis liberis legitimis.

(Cap. V.) **De institutione dotis liberorum legitimorum.**

Et similiter obseruatum et vsitatum fuit in tota praedicta banderia et castellania Sancti Mauritii³⁾ et hoc citra

¹⁾ Entremont: banderiam Interfontium. Nendaz: parrochiam Nendae. Leytron: banderiam et castellaniam Leitronis.

²⁾ Im Original steht eorum.

³⁾ Entremont: in tota banderia Interfontium. Nendaz: in tota praedicta parrochia Nendae. Leytron: in tota praedicta banderia et castellania Leitronis.

omnem contradictionem, quod patres habentes quam plures liberos masculos legitimos (siue sit ipse pater burgensis vel non burgensis) in eorum vltima voluntate ac disponendo de eorum bonis certis suis liberis tam masculis quam femellis dotem pecuniam seu alias aliquam portionem bonorum suorum nomine dotis instituerint¹⁾ eisdem, mediante qua institutione et legitima ipsimet fecerunt quittance et cessionem seu alias ita portionati fuerunt, quae ordinatio vltimae voluntatis seu per contractus matrimoniales tenet et tenet tam ad formam franchisesiae quam praedicti vsus.²⁾

(Cap. VI.) **De successione materna et testandi facultate matrum.**

Non liceat matri aliquem suorum liberorum exhereditare et successione bonorum suorum priuare vltra mentem et dispositionem patriae Vallesii statutorum, nisi accedat et interueniat casus exhereditatione dignus aut is qui priuatur hereditate ipsa bona materna antea expresse quittasset per contractum matrimonii vel alias; illo vero casu illa bona cedunt aliis liberis qui non quittauerunt nec fuerunt portionati. Mulier vero non habens liberos a suo corpore procreatos superstites potest de bonis suis quibuscunque donare, legare et ad eius libitum disponere tam in testamento aut donatione causa mortis siue alias vt sibi visum fuerit.

(Cap. VII.) **De vsufructu virorum et mulierum.**

Mulier post decessum ab humanis sui viri, si vir non habeat liberos legitimos, vtitur omnibus bonis sui viri cum honore et onere, si vero habeat liberos legitimos, saltem medietas bonorum mariti pro suo vsufructu sibi competit; sin autem conuolauerit ad secundas nuptias vel si impudice vixerit, tunc ipso facto vsufructus suus expirat.³⁾ Vir post ab humanis decessum suae vxoris, si vxor non habuerit liberos, vtitur omnibus bonis immobilibus suae vxoris vita eius naturali durante cum honore et onere; si vero habuerit liberos qui cum eorum patre vsufructuario habitare noluerint, idem pater vtetur dummodo medietate omnium bonorum suae

¹⁾ Entremont: instituunt.

²⁾ Entremont hat den Zusatz: dummodo in eadem legitimae portionis institutione statutum proxime superius descriptum sub titulo de testamentis ordinandis non excedant.

³⁾ Im Original steht expiratur.

vxoris defunctae, reliqua medietas spectabit liberis; quoad vero bona mobilia, illa deficientibus liberis cadunt viro, vt inferius describitur.

(Cap. VIII.) **Mariti succedunt in bonis mobilibus suarum vxorum.**

Bona mobilia quaecunque vxorum post matrimonium contractum et consummatum decedentium sine liberis superstitionibus ex vsu pertinent eorum maritis, nisi accideret dictas vxores non esse proprietarias, sed earum dotem et hereditatem constare in pecuniis promptis, pro quibus eisdem per virum nondum esset facta assignatio seu assecuratio, et tunc illae summae pecuniales non debent in sortem bonorum mobilium computari, sed tenent naturam bonorum immobilium.

(Cap. IX.) **De mulieribus testamentaliter curam habentibus suorum liberorum.**

Quia plerumque accidit, quod mulieres aliquando instituantur tutrices solae et vnicae suorum liberorum eorundemque bonorum absque inuentarii confectione et computi redditione, cumque eadem facile possint circumueniri et propter sexus mobilitatem ac fragilitatem falli, tam per alios quam interdum earum proprio motu, statuitur quod abinceps mulieri cui per eius virum non fuerit institutus defensor suisque liberis cum duobus consiliariis, iudex nihilominus eidem ac suis liberis prouidere habeat de vno defensore ac duobus consiliariis, sine cuius defensoris auctoritate et consensu eadem mulier nullos actus iuridicos exequi debeat sub poena nullitatis, quæ circa exercitium suæ tutelæ etiam in rebus arduis et necessariis illius defensoris et consiliariorum consilio et consensu vtatur. Si vero postmodum contingat eandem statum impudicum et inhonestum exercere, de quo notabiliter conuincatur, seu alias eandem conuolare ad secundas nuptias, et si in testamento mariti ista expressa clausula non fuerit inserta, videlicet quod non teneatur ad confectionem inuentarii et redditionem computi, siue manserit in viduitate siue conuolauerit ad alias nuptias, eo casu in ipso testamento siue ordinatione adscripta non tenetur ad inuentarium conficiendum neque ad computum reddendum; ipsa autem clausula in testamento non adscripta, (si requiratur) tenetur ad confectionem inuentarii citra tamen annulationem testamenti in omnibus aliis suis clausulis.

(Cap. X.) Quibus legitima veniat instituenda.

Testator non tenetur nisi suis heredibus legitimam instituere; hi autem sui dicuntur, scilicet ab ipso in legitima linea descendentes, quibus deficientibus etiam annumerantur pater et mater in numero suorum heredum, alios vero praeter hos legitimare testator nisi velit non tenetur, sicuti fratres, sorores, agnatos, cognatos aliosque consanguineos a linea descendentium aut ascendentium exclusos, vt ipso iure vsuque antiquo habetur.

(Cap. XI.) De protestatione vsufructus.

Vir post ab humanis decessum suæ vxoris volens vti bonis defunctæ non tenetur quouis modo protestari ratione sui vsufructus neque tenetur aliquam recognitionem aut inuentarium facere de bonis quibus vtitur, nisi liberi cum dicta vxore procreati supersint legitimi aut ab heredibus mulieris defunctæ requiratur, tunc enim tenebitur ad inuentarium conficiendum bonorum quibus vtitur. Mulier vero etiam si requisita non fuerit tenetur infra quadraginta dies a morte sui mariti computandos protestari de suo vsufructu et inuentarium facere et sufficienter cauere de bene vtendo et computum reddendo expirato ipso vsufructu, alias perdit vsufructum sui viri, nisi per testamentum eiusdem a prædictis protestatione et inuentario conficiendo liberetur.

(Cap. XII.) De donationibus tam in testamento quam alias factis.

Si quis cuius personæ aliquam partem bonorum suorum donauerit siue etiam omnia bona sua dicendo: talia bona tibi dono post meum ab humanis decessum, tunc si talis donatarius ab huiusmodi sæculo decedat ante donatorem nullis relictis sibi liberis legitimis aut liberorum liberis, tunc talis donatio mortua est et bona donata reuertuntur donatori et suis quibuscunque heredibus.

(Cap. XIII.) De aetate præfinita et legitima contrahendi matrimonium.

Puer quattuordecim annorum natus et puella aetatis¹⁾ duodecim annorum de consensu parentum, tutorum, amicorum, consanguineorum et præsertim horum quorum regimini

¹⁾ Entremont und Nendaz: aetatis perfectæ.

et fidei sunt commissi, matrimonium contrahere poterunt; caeterum puer ante decimum octauum, puella vero sedecimum suae aetatis annum sine praescitu et consensu eorum patris, matris, tutoris, amicorum et horum scilicet sub quorum cura et protectione constituti sunt, se matrimonii foedere innodare prohibentur, et si secus fiat praedictorumque liberorum coniugatorum vel alterius eorundem protectores eidem matrimonio consentire nolint, poterunt illud matrimonium reuocare et irritum reddere, nisi iidem contrahentes in eodem instituto et mutua voluntate vsque ad completos annos superius praescriptae¹⁾ aetatis continue persistent, aut etiam interea carnali copula matrimonium consummassent, eo enim in casu ipsum matrimonium non dirimatur, sed suum sortiatur effectum.

Quae quidem capitula superius descripta necnon statuta huiusmodi patriae Vallesii nouiter stabilita et confirmata praedictis hominibus totius castellaniae et banderiae sancti Mauritii Agaunensis²⁾, dempto in ea parte vbi eadem statuta cum capitulis superius descriptis discreparent, ex nunc in antea perpetuis temporibus pro lege inuiolabili et stricta esse et per quoscunque ipsis inconcusse obseruari volumus et iubemus, iuribus tamen nostris quibuscunque cum alterius ratione in praemissis semper saluis et illaesis remanentibus.

In quorum praemissorum omnium firmitatem, fidem, robur et euidens veritatis testimonium praesentes ad perpetuam rei memoriam appensione sigillorum praelibati reuerendissimi domini Sedunensis episcopi et praefati balliui nostri atque generalis consilii secretarii manuali subsignatione fulcitas et confirmatas fieri et supranominatis syndicis sic requirentibus expediri iussimus.

Datas Seduni in castro Maioriae in praedicta nostra vniuersali congregatione die decima³⁾ mensis decembris ab incarnatione Domini anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto.

Per praelibatum reuerendissimum
 dominum nostrum dominum Sedunensem
 episcopum atque magrificum dominum **Martinus Gunterus notarius**
 balliium et oratores omnium septem **secretarius.**
 desenorum patriae Vallesii ita fuit
 concessum.

¹⁾ Entremont: descriptae.

²⁾ Entremont: hominibus totius banderiae Intermontium. Nendaz: hominibus totius parrochiae Nendae. Leytron: hominibus totius parrochiae et banderiae Leitronis.

³⁾ Entremont, Nendaz und Leytron: die decima sexta.

Nr. 484.

**Bestätigung der Freiheiten von Martigny durch Bischof
Nicolaus Schiner und den Landrath der sieben Zenden.**

Sitten, 1497, December 22.

(Nach dem Original im Gemeindearchiv Martigny, Perg.)

In nomine sanctissime et indiuidue trinitatis patris et filii et spiritus sancti amen. Nos Nycolaus Schiners vicarius generalis sanctissimi Domini nostri pape electusque Sedunensis prefectus et comes vniuersis et singulis presentes litteras lecturis ... notum fieri volumus quod die presenti coram nobis spectabilique viro Johanne Ryemen balliuo nostro necnon prouidis et discretis nunciis singulorum desenorum huius patrie Vallesii videlicet (*folgen die Namen der Gesandten*) in magna stupa castri nostri Maiorie pro consilio generali celebrando congregatis, pro parte proborum hominum et communitatis parrochie et mandamenti loci Martigniacci exhibitus fuit quidam rotulus quosdam articulos et capitula distinctos in se continens mentionem de quibusdam vsibus, consuetudinibus et priuilegiis facientes, cum humili supplicatione et requisitione, quatinus illos et illa ipsis concedere, largiri, confirmare, obseruare et ratificare imperpetuum dignaremur. Ipsis igitur articulis et capitulis coram nobis et quibus supra de verbo ad verbum lingua volgari et maternali perlectis ipsorumque tenoribus ... diligenter consideratis, cupientes ipsorum hominum et communitatis loci Martigniacci commodo et vtilitati prouidere ipsisque in omnibus honestis supplicationibus quantum de iure possumus complacere, eisdem consensu quorum supra articulos et capitula, vsus, consuetudines et priuilegia subscriptos admisimus, concessimus, confirmauimus, largiti sumus et ratificauius ac per presentes admittimus etc. citra tamen preiudicium et derogationem iurium et immunitatum nostrorum et mense nostre episcopalis Sedunensis, quibus ullathenus per huiusmodi admissionem etc. derogare non intendimus neque contrauenire.

(1.) Et primo omnes vniuersos et singulos bonos et laudabiles vsus et consuetudines scriptos et non scriptos in dicto loco et mandamento Martigniacci alias laudabiliter consuetos et obseruatos reseruatis capitulis subscriptis, vtque ipsi sint et remaneant ecclesie et mense episcopalis nostre Sedunensis prout acthenus fuerunt.

(2.) Item quod omnes et singuli inhabitatores dicti loci et mandamenti Martigniacci vtriusque sexus et cuiuscunque

gradus possint valeant et eis liceat tam in eorum plena sanitate in contractibus matrimonialibus quam per testamenta dotare, deliberare et expedire tam per excheyt seu dotem quam aliunde liberos suos tam filios quam filias ad ipsorum voluntatem, iuxta tamen et secundum vsum, statuta et consuetudinem huiusmodi patrie Vallesii.

(3.) Item quod pater et mater habentes liberos de pluribus maritis seu vxoribus de vno siue vna in maiori numero et copia quam de alio sint aliaque, ipsi tales liberi succedant et succedere debeant in equali porcione et rata in quibuscunque bonis que veris heredibus succeduntur tam paternis quam maternis.

(4.) Item quod omnes res mobiles et quecunque debita si non petantur infra decennium prescribantur.

(5.) Item quod omnes seruitutes et omnia homagia facte et facta impositaeque et imposita de tempore quo peruenerunt ad manus dominorum de Sabaudia super possessionibus, terris et feudis mense episcopalis Sedunensis, que per prius tempore dominorum episcoporum Sedunensium non fuerunt onerata, sint et esse debeant exnunc in antea nulla, cassa et inualida, saluis et reseruatis simplicibus redditibus et vsagiis.

(6.) Item quod illi de Martigniaco pro veyturis mercanciarum de Martigniaco apud Sedunum conducendarum tantum habeant et percipiant habereque et percipere debeant pro singula veytura sicuti domini ciues Sedunenses.

(7.) Item quod ipsi inhabitatores dicti loci et mandamenti Martigniaci non possint neque debeant talliari, nisi fiat generalis tallia per totam patriam a Morgia Contegii inferius, saluoque si edocere possimus alias tempore quo erant et fuerant vt nunc sunt dicte mense episcopali Sedunensi, fuisse vsitatum per Reuerendos dominos episcopos Sedunenses tallias particulares ipsis facere, quod tunc huiusmodi capitulum nobis nec dicte mense nostre episcopali Sedunensi non inferat preiudicium.

(8.) Item quod forenses habentes vineas, terras et alias possessiones penes territorium Martigniaci, possint per communitatem eiusdem loci respectu ipsorum bonorum talliari prout et secundum quod alia bona inhabitatoria in ipso loco de Martigniaco talliabuntur, pro et tamen talliis rationabilibus non tangentibus edificia seu reparationem et constructionem ecclesie et stratarum siue particularem commoditatem ipsius loci et mandamenti Martigniaci.

(9.) Item omnes et singulas paruas clamas reducimus ad quattuor grossos Maurisienses semel.

(10.) Item quod quattuordene aliquo tempore vsitate, que sunt in preiudicium communitatis predicte, sint exnunc in antea casse et nulle, et quod fiat quoad causas proprietarias atque ministretur iustitia de quatuordecim diebus in quatuordecim vsque ad tres assignationes, prout antiquitus solitum fuit. Et de debitis ac causis mobilibus de tribus diebus in tribus diebus.

(11.) Item quod omnes castellani dicti loci et mandamenti Martigniaci pro tempore futuro constituti debeant et teneantur infra annum et diem componere suas clamas, si quas habent, atque banna, alias extunc sint nulle et prescripte.

(12.) Item quod omnis extraneus non degens et moram trahens in dicto loco et mandamento Martigniaci exnunc in futurum possit comparere in iudicio ipsius loci per procuratorem cum tamen sufficienti potestate.

(13.) Item quod omnia homagia ac omnes laudes et commissiones aliquarum personarum exceptis alti domini et principis sint cassa et inualida casseque et inualide ad tenorem arresti super hoc alias tempore pie memorie domini Waltherii de Supersaxo Sedunensis episcopi facti cum consilio et laude dominorum patriotarum.

Quoscunque alios articulos et capitula in pretacto rotulo descriptos reuocando, annullando et irritando.

In quorum omnium premissorum . . . has litteras pro parte predictorum . . . loci Martigniaci humiliter et instanter requisitas sub nostri et prefati domini balliui sigillorum appensione in robur, fidem et veritatis testimonium duximus concedendas, presentibus ibidem viris honestis Peter Maioris de Vespia, Clemente Traffoz de Leuca et Henselino Kalbermatter incola Sedunensi familiaribus prelibati domini balliui pro testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Datas Seduni loco iamdicto die quatuordecima mensis aprillis anno Domini millesimo quatercentesimo nonagesimo septimo.

Rursum anno antedicto et die nona mensis Junii Seduni in aula noua castris nostri predicti Maiorie coram nobis et dicto nostro balliuo necnon viris prouidis et discretis Anthonio Perrers gubernatore (*u. s. f. folgen die Namen der Gesandten*) pro consilio generali celebrando destinatis et congregatis premissis omnibus et singulis recapitulatis et perlectis huiusmodi concessionem sicut prescribitur factam ratifficaerunt . . . presentibus testibus prenominatis.

Datum Seduni die anno et loco quibus supra sub dictorum nostrorum sigillorum appensione.

Que premissa capitula prefati Reuerendus dominus noster et dominus balliuis laude et consensu nunciorum singulorum desenorum huius patrie pro consilio generali tenendo in castro Maiorie die vicesima secunda mensis decembris anno quo supra congregatorum admiserunt et in testimonium veritatis sigillauerunt, excepto capitulo mentionem faciente de restrictione clamarum et bannorum videlicet ad quatuor grossos, quod capitulum penitus excluserunt et reuocauerunt, illud restituendo et dimittendo ad pristinum vsum et consuetudinem prius acthenus ante huiusmodi concessionem consuetum.

Constat mihi notario subsignato de huiusmodi annullatione et exclusionem per eosdem Reu. dominum nostrum et spectabilem balliuum.

Rubini notarius.

Nr. 485.

**Einführung des Landrechts von 1571 in Martigny unter
Genehmigung vorbehaltener Gewohnheiten.**

Sitten, 1580, Januar 14.

(Nach einer alten Copie im Gemeindearchiv Martigny.)

Nos Hildebrandus de Riedmatten diuina miseratione Episcopus Sedunensis, Præfectus et Comes patriæ Vallesii vniuersis et singulis tam præsentibus quam posteris quorum intererit notum et manifestum fieri volumus, quod cum per nos et dilectos patriotas nostros a Morgia Contegii superius per gratiam et inspirationem diuinam in honorem ipsius cunctipotentis Dei, iustitiæ cultum, virtutum incrementum, scelerum correctionem, litium abbreviationem, subditorum quietem et vtilitatem et gregis nobis a Deo concrediti commodum, pro nobis et communitatibus omnium septem desenorum eiusdem patriæ nostrisque et illorum successoribus certa statuta, quæ abinceps vim legis perpetuæ obtinere debeant, condita, conscripta et solemnem approbationem sigillorum appensionibus confirmata, acceptata et stabilita fuerint, ex eorumque statutorum quotidiano vsu tam vberem et largifluum fructum promanare cuperemus¹⁾, vt non solum vtile

¹⁾ Andre Copie: ex eorundem statutorum quotidiano vsu fructum promanare comperimus.

sed etiam pernecessarium esse duxerimus eadem statuta dilectis ac probis nostris nostræque mensæ episcopalis Sedunensis immediate subditis hominibus iurisdictionis et castellaniam nostræ Martigniaci communicare, eosdemque legibus statutariis patriotis superioris Vallesii et reliquis subditis nostris a Morgia Contegii inferius facere pares, et cum hanc mentem et voluntatem nostram edito mandato prænominatis nostris subditis castellaniam Martigniaci patefecerimus, illi ex æquo obtemperantes missis ad nos in hunc effectum procuratoribus legatis et nunciis subnominatis, scilicet prouidis viris nobisque dilectis Petro Berthodi capitaneo et vicecastellano, Guillelmo de Grangiis bandereto, Joanne Piedmont¹⁾ curiali huius loci et Francisco Paris notario, per quos eadem statuta patriæ et contenta in eisdem acceptauerunt eademque cum gratiarum actione pro se et suis heredibus et successoribus quibuscumque approbauerunt, sub reservationibus et exceptionibus infra declaratis et insertis, quas suppliciter et humillime petierunt sibi per nos concedi et admitti:

(1.) Primo quod nullis vtriusque sexus personis liceat de suis bonis penes castellaniam Martigniaci sitis donare vel legare tam in contractu matrimonii quam aliter quomodocumque vltra tertiam partem bonorum suorum immobilium cum honore et onere vna cum omnibus mobilibus quæ in potestate donatoris relinquuntur, tamen vt coniux superstes possit vti et iure vsusfructus habere omnia bona immobilia sui coniugis præmortui sine liberis legitimis. Si vero defunctus liberos habeat legitimos, medietatem tantum. Sub hac distinctione tamen, quod vir non teneatur cautionem aliquam dare pro bonis vsusfructus neque aliquam protestationem facere excepta inuentarii confectione, cui adstringi debeat, si requiratur per heredes proprietarios, quia asseritur hactenus ita Martigniaci continuo vsu receptum fuisse.

Sic tamen vt vsufructuarius in obseruatione articulorum statuti sit obnoxius et iis neglectis possit suum vsumfructum committere, si quidem in aliquo errore aut defectu comprehensus culpabilis reperiatur.

(2.) Mulier etiam valeat percipere dotem et quascunque donationes in contractu matrimonii vel alias sibi legitime factas, vna cum augmento dotis, de cetero²⁾ vero vsusfructus admittatur tam viris quam mulieribus sub omnibus iis modo, forma, conditionibus et casibus in statutis Dominorum Patriotarum Vallesii contentis et descriptis.

¹⁾ Ebenda: Pramont.

²⁾ Ebenda: in reliquis.

(3.) Item quoad bona mobilia mulierum, quae die desponsationis possident, post consummationem contractus matrimonii¹⁾ marito tamquam proprietario et domino pertineant et debeant esse adducta²⁾, si quidem id ipsum in castellania Martigniaci hucusque inconcusse obseruatum fuisse comperiatur, in eum euentum³⁾ et non alias, nisi eadem mulier desponsata expedita esset dote et certae pecuniae summa⁴⁾ pro sua hereditali portione, ea enim eueniente causa⁵⁾ ipsa pecuniae summa non assignata vel posita (al. posata) rei immobilis naturam sortiatur, maritoque tamquam res mobilis minime adscripta sit.

(4.) Insuper nullis dictae castellaniae subditis pro prima instantia alium extra iurisdictionem Martigniaci in ius vocare liceat, sed quislibet alium coram iudice ordinario illius loci conuenire debeat, nisi quantitas et valor huiusmodi actionis summam sex florenorum parui ponderis monetae Sabaudiae excedat, iure tamen appellationis in praemissis reseruato.

(5.) Item si dies Martis qui in eadem iurisdictione Martigniaci ordinariae curiae destinatus est, feriatu fuerit, vt assignationes ad illum factae immediate deuoluantur et cadant ad diem proximum inde sequentem non feriatum.

(6.) Denique vt supramemoratis hominibus castellaniae nostrae Martigniaci permissum et licitum sit, ex eorum numero eligere necnon (si opus fuerit) compellere duos, tres vel plures viros honestos ad id capaciores et magis idoneos, qui patroni et advocati munus subeant⁶⁾ et exercent, in omnibusque ordinariis diebus iuridicis curiam adeant atque pro egentibus et patientibus in iudicio verba fideliter faciant mediante salario competente.

Nos igitur Episcopus praelibatus attendentes praenominatorum clientum et subditorum castellaniae⁷⁾ nostrae Martigniaci promptam et morigeram praedictorum statutorum acceptationem et susceptionem, visa necnon humili et seriosa eorum requisitione, qua petierunt exceptiones suprascriptas sibi admitti et confirmari, quas quidem cum propter illarum aequitatem, tum etiam ob beneuolentiam nostram in eorum

1) Ebenda: post contractum matrimonii consummatum.

2) Ebenda: addita. 3) Ebenda: illo scilicet modo.

4) Ebenda: summa ei assignata.

5) Ebenda: eo enim casu adueniente.

6) Ebenda: habeant.

7) Ebenda: castellaniae et iurisdictionis.

voluntatem ac propensissimum affectum, quo ¹⁾ eorum iustis requisitionibus annuere inclinati sumus, ex certa eorum scientia et liberalitatis nostrae plenitudine omnes et singulos articulos superius descriptos et continentiam eorumdem praememoratis hominibus castellaniae nostrae Martigniaci admittimus, concedimus et approbamus, illosque perpetuis temporibus observari per quoscumque volumus et iubemus citra praeiudicium nostrum nostraeque mensae episcopalis Sedunensis et tertii cuiuscumque. In quorum praemissorum omnium fidem et robur ac veritatis testimonium praesentes litteras testimoniales sub sigilli nostri appensione atque secretarii subsignatione dictis hominibus iurisdictionis nostrae Martigniaci eas sedulo requirentibus concedendas esse duximus.

Datas Seduni in castro maioriali die decima quarta mensis Januarii anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo.

Receptor magnificus et praeclarus dominus
Martinus Gunterus
secretarius patriae.

Nr. 488.

**Bestätigung alten Gewohnheitsrechts von Entremont betr.
Erbgang u. A. gelegentlich der Einführung der Statuten
von 1571.**

Sitten, 1575, December 16.

(Nach dem Original im Gemeindearchiv St. Brancher, in gleicher Ausstattung wie Nr. 475.)

Der Eingang wie in Nr. 475 für St. Maurice, mit den dort in den Noten angegebenen Abweichungen.

Primum capitulum.

De modo succedendi directe.

Bona personae decedentis ab humanis intestatae perveniunt ad liberos suos legitimos a proprio suo corpore procreatos superstites, et si non relinquat liberos legitimos, pater et mater ipsius defuncti aequaliter cum aliis fratribus et sororibus defuncti utroque latere iunctis aequalibus portionibus eidem defuncto succedunt in omnibus suis bonis

¹⁾ Ebenda; tum etiam ob benevolam nostram erga eos voluntatem et propensiolem affectum, quibus.

mobilibus et immobilibus, et hoc ad mentem et formam articuli libertatis et franchises Banderiae dictae communitatis Intermontium concessae ita sonantis.

Si vir aut mulier intestatus vel intestata ex duabus vxoribus seu maritis duobus plures liberos habeat, vna vero ex dictis mulieribus defuncta, liberi ex eadem geniti succedunt in solidum in bonis eorum maternis et sic etiam in bonis paternis.

Adueniente vero casu, quod vnus dictorum liberorum ab humanis decedat, alter ex eadem matre natus pro toto in bonis maternis sui fratris vel sororis defunctae succedit absque eo quod reliqui liberi ex alia vxore prognati aliquam capiant partem, et ita quoque de virorum successione intelligendum.

Si vero contingat eundem fratrem vel sororem ab humanis et intestatum et sine liberis legitimis et naturalibus superstitibus decedentem habere bona labore et industria acquisita aut sibi donata vel etiam per aliquam successionem aliunde quam a suo patre vel matre euenta, tunc fratres vel sorores superstites omnes, siue sint vno duntaxat latere vel vtroque fratri defuncto coniuncti, in aequali rata et portione in bonis dicti fratris defuncti acquisitis, dono habitis et aliunde quam a patre vel matre per successionem sibi deuolutis succedant.

Cap. II.—Cap. XI. *gleichlautend mit dem Brief für St. Maurice* (oben Nr. 475).

(Cap. XII.) **De donationibus tam testamentaliter quam alias factis.**

Licet patri per testamentum suis liberis nuptis et non nuptis notanter femellis dotem constituere ad eius liberum arbitrium mediante legitima assueta scilicet quinque solidorum ad minimum, quibus dote et legitima mediantibus possit idem pater suas filias legitimas atque dotatas a reliquis suis bonis priuare et exhereditare, nec poterit illa dotata mediante restitutione dotis cum reliquis heredibus institutis in ipsa hereditate paterna participare, attenta priuatione prius facta, sed sua dote et legitima ordinatis sit contenta.

Item liceat vnicuius personae Banderiae praedictae de suis bonis in parte per donationem inter viuos facere cum deuestitura et inuestitura, et his non obstantibus si donans aut donator rem donatam vsque ad eius obitum reseruet, tunc poterit donator praesiis et emolumentis bonorum tali conditione donatorum vti et gaudere vita eius comite absque

eiusdem donationis per eum factae reuocatione; sin vero ipso donatore viuente donatarius et a suo proprio corpore procreati heredes ab hoc saeculo decedant, donatio talis reuertitur ad ipsum donatorem nec transit ad alias personas de consanguinitate donatoris non existentes.

Cap. XIII. und Schluss *wie bei St. Maurice (Nr. 475)*.

Nr. 489.

Nachträgliche Bestätigung einiger in dem Abschiede von 1575 für Entremont (Nr. 488) vergessenen Artikel.

Sitten, 1583, Juni 29.

(1. Copialbuch im Gemeindearchiv von Orsières. 2. Notarialisch beglaubigte Abschrift von dem (jetzt vermissten) Original, im Staatsarchiv zu Sitten.)

Nos Hildebrandus de Riedmatten Dei et apostolicae sedis gratia Episcopus Sedunensis, Praefectus et Comes terrae Vallesii, Matthaeus Schiner Balliuis et Oratores omnium septem desenorum patriae Vallesii subnominati, scilicet Petermandus de Platea banderetus, Georgius Supersaxo pridem gubernator Sancti Mauritii Agaunensis nunc castellanus ciuitatis, Joannes Vualdin scindicus, Germanus Murisod castellanus Sauisiae, pro ciuitate et deseno Sedunensi, Franciscus de Platea banderetus, Jacobus Chattonez, Bartholomaeus Munderessy notarius, nomine deseni Sirri, Antonius Mayenchet nuper et nunc tertio balliuis, Joannes Locher maior, Stephanus de Cabanis pridem maior, loco deseni Leucaae, Stephanus Berold maior, Joannes Rotten alias gubernator, Christianus Mathisch maior Morgiae, Petrus Ouwlig capitaneus deseni, pro deseno Rarogniae, Joannes Burchtholome castellanus (al. capitaneus), Petrus Nicolis, Joannes Anthenmatten olim castellanus, Joannes Lengen¹⁾ maior in Chousson, loco deseni Vespiae, Gasparus Brinlen²⁾ alias castellanus nunc locumtenens, Georgius Michels aliquando castellanus nomine deseni Brigae, Martinus Jost maior, Melchior Schiner pridem maior et Simon Jnderlending (al. Jnderledin) maior vallis Binduli³⁾, pro deseno Consches, Seduni pro generali

¹⁾ In einer andern, einem für Liddes ausgefertigten Exemplar entnommenen Copie: Langer.

²⁾ Ebenda: Grinlen.

³⁾ Ebenda: vallis Sinodici.

consilio celebrando et reipublicae negotiis peragendis definiendis et consultandis vniuersaliter congregati, harum praesentium serie notum atque manifestum vniuersis et singulis praesentibus et futuris fieri volumus, in nostra generalis consilii congregatione coram nobis comparuisse nobilem et generosum Gasparum Fabri banderetum banderiae Intermontium compatriotam nostrum, et honestos viros Guilielmum Pauleti¹⁾ vti scindicum parrochiae Sancti Brancherii eoque nomine et parrochiae Burgi Montis Jouis, Martinum Docis villae Orseriarum, Joannem Aubert vti scindicos parrochiae Orseriarum et eo nomine, Bartholomaeum Mistralis vti scindicum de Liddes, Stephanum Roserens²⁾ eius reconsiliarium³⁾ eoque nomine communitatis de Liddes, Christophorum Bruschez capitaneum de Bagnies et Intermontium, discretum virum Franciscum Grossy clericum vti scindicum vallis de Bagnies, atque eruditum virum Claudium Medici notarium de Bagnies, nomine communitatum vallis de Bagnies et Vullegii, et tamquam (omnes supranominati) nuncii procuratores praedictarum parrochiarum, exponentes verumque asserentes, quemadmodum anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto et die decima sexta mensis decembris Seduni tunc in nostro generali consilio coram nobis et oratoribus patriae nostrae permissione voluntaria a statutis nostris certas fecissent et produxissent exceptiones et reseruaciones, quas nuncii et procuratores dictarum communitatum nobis humillime admitti, obseruari et pro lege haberi supplicauerunt, prout easdem admisimus, laudauimus et confirmauimus, apparentibus authenticis litteris testimonialibus nostris sigillis more solito rite appendentibus, receptis et subsignatis per secretarium nostri senatus subsignatum, die et anno supra designatis, vna cum alio authentico de modo succedendi instrumento iam antea per nos et oratores patriae concesso per dictum nostrum secretarium recepto, inter quas exceptiones et reseruaciones scripto redactas nonnulli articuli de succedendi modo inscribi omissi fuere, quamquam nobis et oratoribus nostris tunc praesentati et per nos admissi fuissent, prout fide digna dictorum procuratorum et nunciorum relatione et alio idoneo testimonio compertum habemus, quocirca supranominati procuratores dictae totius Banderiae Intermontium exorarunt et supplicarunt humiliter, dictos articulos de modo succedendi ipsis per nos prius concessos debere obseruari et scriptis re-

1) Ebenda: Pouillet.

2) Ebenda: Rossier.

3) Ebenda: consiliarium.

digi cum aliis reservationibus ac si die ⁵datae acceptationis dictorum statutorum et dictarum reservationum scriptarum et concessarum admissi et confirmati fuissent, et sub eadem data nunc pro tunc, quibus potiri et vti soliti sunt ipsi homines ab aevo citra in tantum quantum memoria hominum non laborat in contrarium.

Quorum articulorum tenor sequitur et est talis :

Primo fuit ordinatum et statutum, si auus vel auia viuat habens ex filiis vel filiabus suis defunctis nepotes superstites, contingat autem vnum vel plures dictorum nepotum ab huiusmodi saeculo migrare sine liberis legitimis et naturalibus seu ab intestato, relictis tamen fratribus vel sororibus superstilibus, eo adueniente casu sciendum est, quod praenominati fratres et sorores defuncti in bonis eorundem iam dicti fratris vel sororis defunctorum succedunt, auum vel auiam excludendo.

Si vero nulli fratres vel sorores fratris vel sororis defunctae exstiterint superstites, tunc auus vel auia in omnibus bonis suorum nepotum defunctorum ex filio aut filia natorum succedunt et succedere possunt, patruos et auunculos, cognatos et reliquos consanguineos excludendo et foris ponendo.

In et super praemissis est intelligendum, quod pater et mater in bonis liberorum suorum defunctorum in aequali rata cum ceteris fratribus seu sororibus superstilibus succedunt et deficientibus omnibus eorum liberis nullisque relictis liberis legitimis et naturalibus vel ab intestato, tunc pater et mater in omnibus quibuscumque bonis suorum liberorum scilicet vltimi decedentis succedunt, auum et auiam excludendo.

(2.) Item fuit statutum, quod deficientibus patre et matre suisque liberis ac auo et auia ac nepote fratris vel sororis defunctorum qui haberet ius praesentationis, tunc succedunt alii proximiores in gradu consanguinitatis ipsius defuncti in omnibus suis bonis, vnde quaque bona prouenerint; non habito respectu vnde et a quo latere ipsa bona proueniant.

Quibus sic auditis et perlectis articulis supra dictis matureque consideratis, habita primitus per nos veridica informatione de supradictis propositis et allegatis ipsorum procuratorum nuntiorum, Nos Episcopus praelibatus, Ballius et Oratores praefati matura deliberatione habita requisitioni vt praest etiam nobis factae vti aequitati consonae beneuolenter annuere volentes, ipsos articulos et modum succedendi supra descriptum et declaratum modo et forma requisitis in omnibus eorum passibus, punctis et clausulis laudamus, rati-

ficamus et approbamus nostramque auctoritatem pariter et decretum hiis interponimus sub et eadem data die acceptationis dictorum statutorum et in supra designatis litteris testimonialibus per nos concessis et nunc pro tunc, saluis in praemissis iuribus nostris illaesis remanentibus. De quibus praemissis dicti procuratores et nuncii petierunt ipsis dari et concedi litteras testimoniales fierique tot quot erunt requisitae et necessariae, quas sub appensione sigillorum nostrorum praelibatorum Episcopi atque Balliui vna cum secretarii nostri subsignatione concedendas esse duximus.

Datas Seduni in castro nostro Maioriae in praedicta generali congregatione die penultima mensis Junii sub anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo tertio.

De permissione et concessione praelibati
Reuerendissimi Episcopi Sedunensis atque
magnificorum Dominorum Balliui et
Oratorum omnium septem desenorum.

Martinus Gunterus
secretarius.

Nr. 490.

Usus et consuetudines Banderiae Intermontium.

s. d.

(Späte Copie in einer Sammlung von Walliser Acten von J. Schnell.)

Sequuntur vsus et consuetudines totius Banderiae Intermontium hactenus inconcusse tam vigore franchisesiae quam ex vsu inueterato obseruati, quos humillime supplicant admitteri.

In primis: dum pater habens plures liberos tam masculos quam femellas potest vnum vel plures dotare honesta portione ad suum liberum arbitrium, mediante tamen legitima quinque solidorum Maurisiensium, et vnum vel plures instituere heredes.

2. Liberi liberorum qui vocantur nepotes ex filiis aut filiabus in aequali rata et parte in bonis aui aut auiae cum patris et materteris succedunt, repraesentando personam eorum patris et matris.

3. Parentes autem in bonis liberorum suorum absque liberis legitimis decedentium ab intestato in aequali rata et portione cum ceteris liberis, dictorum decedentium fratribus et sororibus, succedunt, et in bonis vitimi sicut praeest decedentium omnibus et singulis succedunt.

4. Item si vir aut mulier intestatus vel intestata ex duabus vxoribus seu duobus maritis plures liberos habeat, vna vero ex istis mulieribus defuncta liberi ex eadem geniti succedunt, adueniente casu quod vnus dictorum liberorum ab humanis decedat, alter ex eadem matre natus pro toto in bonis maternis sui fratris aut sororis succedit, absque eo quod ceteri liberi ex alia vxore prognati capiant aliquam partem; et sic de viris. Illi de Bagnies se referunt eorum franchisesiae nouissime per magnificos Dominos nostros admissae et scripto redactae.

5. Si vero post sui parentis ab intestato seu nullis donationibus interuenientibus obitum vnus liberorum aliqua faciat acquisita aut aliae sibi perueniant excheutae, illa inter fratres aut sorores quoscumque pro latere paterno quam materno (wohl: aequaliter diuidantur).

6. Persona habens patrum et filium fratris superstites, bona eiusdem personae sine liberis legitimis ab humanis et ab intestato decedentis debent pertinere et spectare pleno iure filio fratris potius quam patruo, vndecumque peruenerint et quecumque sint illa; frater aut soror fratri aut sorori ab intestato decedentibus nullis relictis liberis succedit absque eo quod filius aut filia fratris aut sororis partem aliquam capiant.

7. Si pater aut mater in contractu matrimonii aliquam partem bonorum suorum filio aut filiae dederit post eiusdem obitum duntaxat, et donatarius et sui decedant ab hoc saeculo ante donatorem, bona donata pleno iure reuertuntur donatori superuiuenti et suis heredibus in solidum, praeter et absque eo quod pater seu mater, nepotes seu neptes donatoris quidquid percipere debeant.

8. Licet liberis per testamenta suis liberis nuptis et non nuptis, masculis et femellis, dotem constituere mediante legitima assueta scilicet quinque solidorum Maurisiensium.

9. Et cuius alteri personae carenti liberis legitimis, equidem licet suis proximioribus legitimam quinque solidorum Maurisiensium constituere, qua mediante eosdem foris ponat ex suis reliquis bonis, suumque rite condat testamentum aut donationem legitimam faciat, valent et testamentum et donationes.

10. Nec poterit dotatus mediante restitutione dotis cum ceteris heredibus institutis in hereditate participare, at-tenta priuati primitus facta quittance, sed sua dote et legitima ordinatis sibi contentus sit.

11. Item ex antiquo vsu licuit et licet cuius personae

de suis bonis in parte donationem inter viuos facere cum deuestitura et inuestitura, et his non obstantibus si donator aut donans solummodo post eius obitum donet, potest idem donans dictorum bonorum donatorum praesiis atque emolumentis gaudere eius vita comite absque dictae donationis per eum factae reuocatione, et si ipso viuente donatore decedant ab hoc saeculo donatarius et sui ante obitum donatoris, talis donatio reuertitur ad dictum donatorem et suos et non transit ad donatarium non existentem.

12. Licet parentibus et cuius alteri personae de bonis suis heredibus per se institutis alios heredes substituere vsque ad tertiam et quartam substitutionem.

13. Vsufuctuarius non tenetur ad aliquam protestationem, declarationem, cautionem nec ad inuentarii confectionem, nisi parte illius cuius legitime intererit petitus et interpellatus exstiterit.

14. Mulier vsufuctuaria tenetur solemnitates requisitas infra quadraginta dies a die obitus sui mariti continue numerandos adimplere, scilicet protestari in regressu sepulturae sui viri, declarare ad quid se velit tenere; (si se teneat vsufuctui, priuatur excheutis suorum liberorum, si vero se teneat successioni suorum liberorum, priuatur vsufuctu, quoniam ambobus vti non debet ex antiqua consuetudine sic obseruata), et cauere idonee necnon inuentarium facere, alias, vt supra, suo vsufuctu priuatur.

15. Itaque omnis vsufuctuarius tenetur in se supportare pro rata pro qua tenet vsufuctum omnia et singula onera debitaque creditoribus defuncti satisfacere, demptis legatis summis dotalibus, quae in primis et prae cunctis in bonis defuncti tenentur ipsa legata et summae pecuniales ad opus cuius intererit leuari et persolui.

16. Quoad vero alia legata de fundis et mobilibus non licet cuique dare nec legare in aliquod praecudicium vsufuctus.

17. Mulier vsufuctuaria in suis secundis nuptiis perdere debeat suum vsufuctum ob defectum viduitatis non obseruatae aut alias inepte reperiatur lubricari.

18. Si sponsus in contractu matrimonii dederit aut aliquam pro iucundi aduentus suae sponsae fecerit donationem, sponsus habere debet omnia mobilia ipsius sponsae ex vsu inueterato, alias non.

19. In castellania vero de Bagnies et Vullegii habent mariti omnia bona mobilia suorum vxorum absque elargitione alicuius iucundi aduentus.

20. De tentis. Tandem fuit consuetum, vnumquemque qui in gradu consanguinitatis alicuius venditoris iunctus sit de loco sub quo res vendita exstitit, tenetur tentam depocere more solito, nempe infra tempus sex hebdomadarum. Si vero faciens tentam non sit de loco praeposito venditi aut alias a loco remotus fuerit, infra annum et diem potest depositum tentae facere.

21. Et si in dicto tempore vnus aut plures in aequali rata, scilicet primi gradus consanguinitatis existentes infra tempus praedictum procedere velint ad tentam rei venditae ac tentatae, reperiatur cum primo tentore non obstante remissione rei tentatae primitus nominatae facta, et diuidere quoque inter se ipsos rem tentatam in aequali rata, quota et portione tam in principali quam in expensis.

Nr. 500.

Freiheitsbrief von Graf Amadeus VI. von Savoyen für Orsières.

Aosta, 1376, Juli 31.

(Nach dem Original im Gemeindearchiv Orsières, Perg. mit anhängendem grossen Reitersiegel des Grafen an grünseidener Schnur. Die Ziffern und die Absätze der Artikel fehlen im Original.)

In nomine domini amen. Nos Amedeus comes Sabaudie notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris quod nos ad supplicationem humilem pro parte dilectorum fidelium nostrorum hominum et communitatis loci et parrochie Orse-riarum super hiis nobis factam, volentes eos prout nos decet fauoribus prosequi gratiosis, pro nobis et nostris successoribus perpetuo eisdem hominibus communitati et singularibus personis loci et parrochie predictorum, qui ibidem habitant et habitabunt imposterum ex nostra certa scientia et deliberato proposito gratiam, immunitates, franchisesias et priuilegia harum tenore concedimus et largimur, que inferius per distinctas clausulas describuntur.

Primo namque eisdem hominibus, communitati et singularibus personis loci et parrochie predictorum pro se et posteritatibus eorundem concedimus prout supra, quod ipsi vel aliqui ipsorum de cetero per castellanum nostrum dicti loci presentem vel futurum eiusue locumtenentem pro et super causis vilibus et modicis que altiorem indaginem non requirunt et de quibus cognitionem ordinariam non conuenit exspectare et que sine partis vel nostri offensa in loco pre-

dicto Orseriarum poterunt expediri, apud Sanctum Brancherium vel alibi litigando non trahentur, remittentur nec etiam contra eorum utilitatem a suis negotiis euocentur.

(2.) Item quod ipsi vel ipsorum aliqui abinde in antea per iudicem nostrum Chablaisii presentem et futurum pro actibus iudicialibus extra castellaniam Sancti Brancherii minime trahentur nec vexabuntur laboribus et expensis, et hoc nisi de mandato nostro processerit speciali.

(3.) Item quod castellanus noster predictus et alii officarii nostri qui in dictis loco et parrochia fuerint pro tempore, bona quecumque bastardorum decedentium relictis liberis vno vel pluribus naturalibus et legitimis de ipsorumque proprio corpore procreatis saisire, barrare, sequestrare, occupare, accipere, inuentariaue de ipsis bonis conficere non audeant aliquialiter vel presumant, et non relictis liberis prout supra, exceptis duntaxat bonis bastardorum natorum ex patribus in sacris ordinibus constitutis.

(4.) Item quod castellanus noster aut clericus curie dicti loci presentes et futuri nullas contra ipsos homines vel aliquem eorumdem ipsorumque posteros in futurum inquisitiones vel processus formet vel faciat sine denuntiatore, nisi in criminalibus casibus a iure traditis et permissis.

(5.) Item quod omnes et singuli, cuiuscumque status et conditionis existant, vtentes nemoribus et pascuis, pasqueraigiis, aquis et aquarum decursibus totius ville et parrochie predictarum, pro quibus per dictos homines viginti septem libre et quinque solidi Maurisienses nobis de recepto annis singulis persoluuntur, per dictum castellanum nostrum compellantur et cogantur ad contribuendum in solutione quantitatis pecunie antedictae, attentis facultatibus et potentia singulorum, et in solutione aliarum expensarum pro suis leuis et impositionibus fiendis imposterum inter ipsos, taliter quod oneribus comoda respondeant et econtra.

(6.) Item quod dictus castellanus et alii officarii nostri dicti loci presentes et futuri exnunc in antea homines villagiorum Orseriarum et parrochie vel ipsorum posteros aliqualiter non compellant venire ad coquendum eorum panem in furnis Orseriarum, nisi si et in quantum alias fieri extitit consuetum, sed eos et ipsorum successores in suis bonis vsibus tueantur et conseruent.

(7.) Item quod castellanus noster predictus in villa et parrochia supradictis non teneat vel constituat ex nunc in antea teneriue aut constitui patiatur nisi vnum bastonerium et non vltra, ad finem quod ipsi nostri homines non grauentur

tur laboribus et expensis, prout predicta in litteris per nos nostrosque successores alias datis et emanatis continentur.

(8.) Preterea cum homines et habitatores loci et parrochie predictorum decedentes ab humanis per castellanum, commissarios aliosque officarios nostros in morte ipsorum diuersis coloribus exquesitis grauer inculpentur contractus vsurarios diuersimode diuersisque temporibus exercuisse et etiam contractasse, sic quod ipsorum talium decedentium bona mobilia, debita, nomina debitorum et alia huiusmodi capiunt, occupant, saysiunt, barrant, sequestrant, impediunt, distrahunt et dissipant, processus contra heredes decedentium faciunt, penas, mulctas et banna imponendo, et de bonis et rebus talium decedentium inuentaria faciundo et eos in ipsis talibus bonis multipliciter perturbando, asserendo talia bona nobis causis premissis pertinere debere, quamquam impedimenta predicta causa extortionis potius quam debite prosecutionis iuris nostri fieri videantur, quibus ex causis attendimus heredes sic decedentium bonis eorum mobilibus et aliis indebite spoliari et priuari, dubitantes ipsi homines et habitatores ne imposterum talia illicita grauamina suos non transeant ad heredes, supplicauerunt nobis humiliter sibi super hiis de salubri remedio prouideri, quapropter nos dictus comes volentes vt premittitur eorum indemnitati de nostra solita clementia prouidere, pro nobis et nostris successoribus vt supra dictis hominibus communitati et singularibus personis loci et parrochie predictorum qui nunc ibidem habitant et habitabunt imposterum pro se et ipsorum heredibus quittamus et remittimus per presentes omne ius omnemque actionem nobis competentem et competens in bonis mobilibus eorundem sic decedentium tam ex testamento quam ab intestato cum liberis vel sine liberis naturalibus et legitimis ex eorum proprio corpore procreatis et procreandis ratione vsurariorum contractuum factorum vel fiendorum publice vel occulte, dono, pacto, promissione vel alio tali modo seu quauis alia causa vsure naturam quomodolibet sapiente, siue sit in pecuniis denariatis siue rebus aliis quibuscumque, vbicumque talia bona consistant et valeant reperiri, ab omnique manu mortua et manus mortue iuribus ratione dicti casus vsure naturam sapientis, ipsos nostros homines et communitatem tam pro preterito tempore quam futuro serie presentium eximimus, liberamus et franchimus exemptosque, liberos et franchos esse volumus nunc et semper. Quorum bona mobilia vel alia quecumque per castellanum nostrum vel officarios alios dicti loci presentes vel futuros capi, saysiri, barrari,

occupari, distrahi vel aliter impediri nolumus ratione dicti casus vsurarii vel vsure naturam habentis, siue sit per inuentarii confectionem, inquisitionibus vel processibus seu talibus causis friuolis quoquo modo.

(9.) Ceterum cum nos reperierimus dictos homines, communitatem et ipsorum heredes et successores esse et fuisse in possessione libertatis et in libertate pacifica spatio decem, viginti, triginta, quadraginta et quinquaginta annorum inconcusse, posito quod sine liberis naturalibus et legitimis decedant, de bonis suis mobilibus et immobilibus ordinandi et de ipsis in eorum vltimis voluntatibus disponendi pro sue arbitrio voluntatis, dum tamen in eorum vltima voluntate si testentur nobis dimittant tertiam partem bonorum suorum mobilium, et modo eodem si decesserint intestati, dicta tertia pars bonorum mobilium predictorum nobis in solidum applicetur, eisdem hominibus et communitati concedimus prout supra, quod ipsi et sui successores reliquas duas partes dictorum bonorum mobilium suis proximioribus dimittant seu alteri, cui vel quibus voluerint ordinare et eis videbitur expedire. Et si ab intestato decederent sine liberis, bona mobilia hominum predictorum sic decedentium nobis in integrum perueniant et pertineant pleno iure, taliter quod dicti homines et eorum successores sint et perpetuo remaneant homines nostri liberi et ligii, et quod caualcatas nostras sequi debeant per vnum mensem integrum eorum propriis sumptibus et expensis quotiens mandabuntur, cum quibusdam aliis ad que nobis tenentur prout in quodam instrumento facto super hiis recepto manu Joannis de Creissiaci dicti Aquabella notarii quondam sub anno domini millesimo tercentesimo quadragesimo quarto indicione secunda die vigesima sexta mensis aprilis plenius est insertum, que per eos nobis attendi volumus et seruari.

(10.) Item predictis nostris hominibus et habitatoribus et successoribus ipsorum concedimus prout supra, quod si tractu temporis castellanus noster vel alii commissarii vel officarii dicti loci qui forent pro tempore, casibus aduenientibus predictis vel aliquo ipsorum per heredes et successores talium decedentium, mares vel femellas, peterent vel fieri vellent estimationem de dictis bonis eorum sic decedentium pro nostris iuribus capiendis, ipsi tales heredes vel successores vtriusque sexus compelli vel coherceri non possint vel debeant per castellanum vel officarios antedictos nec aliquam penam committere vel incurrere, si per errorem aut cum prestito iuramento vel sine iuramento forsan defficerent in extimatione

fienda vsque ad quantitatem quadraginta solidorum Maurisiensium, nisi tamen dicta bona occultarent vel talia dolose in nostrorum detractionem iurium presumerent attentare, aliis iuribus nostris in dictis bonis mobilibus nobis remanentibus prout supra.

(11.) Item dictis nostris hominibus et communitati pro se et successoribus ipsorum laudamus et confirmamus valiturasque et habituras roboris firmitatem decernimus omnes litteras et libertates, de quibus supra mentio non habetur, tam per predecessores nostros quam nos datas et concessas et etiam confirmatas, prout et quemadmodum eis vsi sunt hucusque, quibus per concessionem presentium non intendimus in aliquo derogare.

Quibus mediantibus dicti communitas et homines et successores eorum perpetuo nobis et nostris successoribus dare, soluere et assignare conuenerunt singulis annis super bonis et rebus ipsorum quindecim florenos auri magni ponderis redditus annualis, soluendos et dandos nobis terminis quibus alii nostri redditus persoluuntur in manibus castellani nostri dicti loci qui fuerint pro tempore, quorum assignationem quindecim florenorum annualium facere debeant et etiam teneantur super dictis eorum rebus et bonis ad requisitionem Guillelmi de Malliano procuratoris nostri Chablaisii sufficienter atque bene, qui castellanus de eisdem quindecim florenis nobis annis singulis teneatur fideliter computare. Mandantes tenore presentium balliuo, iudici, procuratori Chablaisii, castellano dicti loci et ceteris officariis et commissariis nostris presentibus et futuris, quatenus omnia et singula capitula contenta in presentibus nostris litteris firmiter attendant et obseruent, in nullo contra faciant vel opponant, sed eosdem nostros homines et communitatem ac successores ipsorum manuteneant et conseruent in eorum bonis vsibus et costumis, quibus eos et successores eorum vti libere faciant et permittant, sine inquietatione quacunque. Pro quibus omnibus a dictis communitate et hominibus septies centum florenos auri boni et iusti ponderis habuisse et recepisse confitemur manu dilecti Petri Vicini secretarii et thesaurarii nostri, qui de ipsis nobis computare debet.

Datum Auguste die vltima Julii anno Domini millesimo CCC^o septuagesimo sexto.

Nr. 513.

Bestätigung besondern Gewohnheitsrechts betreffend Erbfolge für das Bagnethal durch Bischof und Landrath.

Sitten, 1572, December 17.

(Copie auf dem Staatsarchiv zu Sitten.)

Nos Hildebrandus de Riedmatten Dei gratia Episcopus Sedunensis, Praefectus et Comes patriae Vallesii, Mauritius zum Brunnen Balliuus, atque Oratores omnium septem desonorum patriae dictae scilicet (*folgen die Namen*) Seduni in generali consilio celebrando et reipublicae nostrae negotiis peragendis et consultandis vniuersaliter congregati harum serie vniuersis et singulis tam praesentibus quam futuris notum fieri volumus atque manifestum, quod in nostro generali conuentu coram nobis comparuerint honesti Christophorus Bruchez capitaneus Intermontii, Franciscus Grossi et Petrus Bruchez tanquam syndici et procuratores communitatis totius castellaniae de Bagnes, exponentes veluti inter homines praedictae communitatis hactenus multae altercationes et controuersiae interdum maxima litigia fuerunt ex certa causa successio- num et hereditatum percipiendarum, ita vt dum vna partium se tueri vellet iure scripto ciuili cui subiiciantur, altera pars allegaret et in medium produceret vsum et consuetudinem loci a maioribus obseruatum; cum vero retroactis temporibus certi mores et consuetudines irripuerint, quae iuri ciuili penitus repugnant et contrariantur, dictaque communitas hactenus ancipiti pretio multisque litibus agitata, non certa, vtrum aut ius scriptum vel introductus vsus succedendi esset anteponendus, cupiat ambiguitatem illam a medio tollere, de praemissis dubiis per certa statuta vnanimi voce totius communitatis et castellaniae approbata conualere, quorum statutorum tenor infra de verbo ad verbum insertus est. Quoniam vero ipsi exponentes tanquam subditi nostri de se in praemisso aliquid noui statuere nequeant nisi voluntate et auctoritate nostra interueniente, igitur suppliciter rogauerunt quatinus statuta et ordinationes infra tenorisatas dictae communitatis laudare, admittere et confirmare dignaremur, quorum tenor sequitur.

(1.) Primo fuit statutum et ordinatum, quod si sint quatuor fratres pauciores vel plures, quorum duo ex vno patre et vna matre, alii vero duo ex eodem patre, non ex eadem matre nati, et contingat vnum ex dictis quattuor fratribus intestatum vel sine liberis legitimis ab humanis decedere

relictis tribus fratribus superstitibus, ipsi fratres superuiuentes succedant in bonis eorum fratris, vel si soror esset sororis, per modum subscriptum: videlicet frater vel soror ex patre succedat in bonis paternis, frater autem vel soror ex parte matris succedat in bonis maternis absque eo quod frater ex latere tantum paterno in bonis fratris seu sororis maternis, cum sit ex alia matre natus, aequaliter succedat, et vice versa frater seu soror ex vterino latere duntaxat natus vel nata in bonis paternis fratris vel sororis decedentis minime succedat, cum sit ex alia matre procreatus vel procreata. Si vero contingat eundem fratrem vel sororem, ab humanis intestatum vel sine liberis legitimis et naturalibus decedentem vt supra, habere bona labore et industria acquisita aut sibi donata vel etiam per aliquam successionem aliunde quam a suo patre et matre euenta, tunc fratres vel sorores superstitites omnes, siue sint vno duntaxat latere vel vtroque fratri defuncto coniuncti, in aequali rata et portione in bonis dicti fratris defuncti acquisitis, dono habitis et aliunde quam a patre vel matre per successionem sibi deuolutis succedant, nulla in praemissis interueniente exceptione.

(2.) Deinde si auus vel auia habens a filiis vel filiabus suis demortuis nepotes superstitites, contingat autem postea vnum vel plures dictorum nepotum ab huiusmodi saeculo migrare sine liberis legitimis et naturalibus seu ab intestato, relictis tamen fratribus vel sororibus superstitibus, eo adueniente casu sciendum est, quod praenominati fratres vel sorores defuncti in bonis eorum iam dicti fratris aut sororis defunctae succedant, auum et auiam eiusdem excludendo.

(3.) Si vero nulli fratres eorum aui vel auiae eiusdem defuncti nepotes superstitites extiterint, tunc auus et auia succedunt in bonis suorum ex filio seu filia nepotum defunctorum, patruos, auunculos, cognatos et reliquoscunque excludendo.

(4.) In et super praemissis est intelligendum, quod pater et mater in bonis liberorum suorum vt supra defunctorum in aequali rata cum ceteris fratribus seu sororibus superstitibus succedant, et defunctis omnibus eorum liberis nullisque relictis liberis naturalibus et legitimis vel ab intestato, tunc pater et mater in omnibus et singulis quibuscunque bonis suorum liberorum scilicet vltimi decedentis succedant, auum et auiam excludendo.

Quibus quidem statutis et succedendi declarationibus auditis et sane consideratis, nos episcopus et praelibatus ballius et oratores praefati matura deliberatione praehabita, requisitioni etiam nobis vt praest factae vti aequitati con-

sonae benevole annuere volentes, ordinationes, declarationes et statuta superius specificatas et specificata in omnibus eorum passibus et clausulis laudamus, ratificamus et approbamus nostramque auctoritatem pariter et decretum iis interponimus, sub hac certa declaratione, quod eadem statuta pro futuro duntaxat tempore concessa habeantur et a nunc in antea obseruentur. De quibus etiam statutis nemo hominum iure et titulo quocunque occasione prius deuolutae successionis se iuuari aut tueri possit, verum eodem modo et forma quo vnusquisque retroactis temporibus ante diem datae praesentium consimilibus successionibus gauisus est, sic etiam abinceps in pristina possessione et lege permanere et manuteneri debeat.

Datum et concessum in castro Maioriae, die XVII^a decembris sub anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo. In quorum etc.

Martinus Gunterus
Secretarius.

Nr. 515.

Weisthum der Leute von Fully, Saxon und Riddes über ihr Erbrecht.

1545, Juni 6.

(Mangelhafte Copie auf dem Staatsarchiv zu Sitten.)

Anno Domini millesimo quingentesimo quadragésimo quinto et die sexta mensis Junii sequuntur articuli qui tractati et conclusi sunt per probos homines communitatum Riddae, Saxoni et Fulliacci inferius nominatos et per quandam communitatem ad haec electam super vsibus et consuetudinibus dictarum communitatum et parrochiarum vsque in praesenti obseruatis, quos vsus dicti probi homines dictorum locorum ad euitanda futura iurgia futurasque lites et controuersias ad perpetuam rei memoriam in scriptis redigere petierunt vt sequitur.

(1.) In primis dicunt ipsi probi homines dictorum locorum fuisse et de praesenti esse in vsu, quod quando aliqua persona vtriusque sexus dictorum locorum Riddae, Saxoni et Fulliacci, habens¹⁾ liberos naturales et legitimos, potest de suis bonis quibuscumque testari, disponere, ordinare et legare ad eorum

¹⁾ habeat?

voluntatem, prout ceteri homines a Morgia Contegii (inferius) qui subiiciuntur iuri.¹⁾

(2.) Item dicunt ipsi homines dictorum locorum fuisse et de praesenti esse in vsu, quod quando sunt aliquae personae vtriusque sexus de dictis locis, quae non habent liberos legitimos, tales personae possunt donare in vltima eorum voluntate seu donatione inter viuos facta tertiam partem suorum bonorum quoruncunque pure et libere, reseruatis redditibus dominorum, et ordinare super aliis bonis eorum benefacta ecclesiastica secundum facultatem bonorum et statum personae vt moris est.

(3.) Item dicunt ipsi probi homines dictorum locorum fuisse et de praesenti esse in vsu quod quando sunt aliquae personae vtriusque sexus de dictis locis existens recedens seu migrans ex hoc saeculo intestatae et sine liberis tandem superuiuentibus, relicto tamen suo pari, videlicet viro vel muliere, ille vir seu mulier relictus potest vti eius vita durante omnibus bonis personae defunctae, etiam si sit mulier sui viri defuncti, dummodo faciat ea quae ad verum vsufructuarium fieri incumbunt, quacunque donatione vel legato per testatorem factis non obstantibus.

(4.) Item dicunt ipsi homines dictorum locorum fuisse et de praesenti esse in vsu, quod quando aliqua persona ex dictis locis non habens liberos legitimos facit eius testamentum, in quo donauit tertiam partem suorum bonorum alicui personae consanguineae, et dimittit post eius obitum suis consanguineis, dictus consanguineus vtriusque sexus potest vti eius vita durante illo tertio bonorum donatorum cum aliis tertiis sine contradictione, testamento non obstante.

(5.) Item dicunt dicti homines dictorum locorum fuisse et esse de praesenti in vsu, quod quando aliquis ex dictis locis recedit ex hoc mundo sine liberis et intestatus, et bonae personae ad Dominum Governatorem ratione singulari condicionis manus mortuae,²⁾ proximiores illius personae defunctae, ex quocunque latere sint, debent et soliti sunt bona illius a Domino Governatore albergare, prout si manus mortua non esset, illis bonis successissent secundum iura.

(6.) Item dicunt ipsi homines dictorum locorum fuisse et esse de praesenti in vsu, quod licet sint tres fratres diuisi, vnus habens et relinquens vnum natum, alter vero quattuor vel sex, tertius vero nullum natum legitimum dimittit, sed

¹⁾ Vgl. Art. 10.

²⁾ zu ergänzen: devoluuntur, oder dgl.

bona illius ad Dominum peruenerint, bona illius fratris defuncti sine liberis debent albergare sui nepotes, prout illis bonis successissent, si singularis condicio manus mortuae non esset, secundum quibus ipsae parrochiae subsequuntur, ita lex sit in aliis gradibus consanguinitatis similis.

(7.) Item dicunt ipsi probi homines dictorum locorum, fuisse et de praesenti esse in vsu, quod licet sint tres fratres paterni, ex quibus duo sint geniti et nati de vna matre, et alter scilicet tertius de vna alia matre, desuper vnus ex duobus fratribus paternis seu maternis recedit ex hoc saeculo sine liberis, et bona ad dominum peruenerunt, bona illius fratris defuncti paterna debent albergari per alios duos fratres paternos, bona vero materna illius fratris defuncti debet albergare solus frater maternus et non frater, qui est frater duntaxat paternus.

(8.) Item dicunt ipsi probi homines fuisse et esse in vsu, quod licet quod aliqua persona habens plurima bona tam paterna quam materna recedat ex hoc saeculo sine liberis, quae illa persona dimittit duos proximos cognatos, vnum ex latere patris et vnum ex latere matris, dicti duo nepotes debent bona illius defuncti vndecunque veniant albergare, quilibet per medium, et non vnus paterna et alter materna.

(9.) Item dicunt ipsi homines fuisse et esse de praesenti in vsu, quod quando sunt plures fratres nepotes et cognati inuicem et indiuisim existentes, ex quocunque latere sint, et aliqui ex eisdem recedunt sine liberis, Dominus in illis bonis nil potest accipere nec debet secundum morem vsque in praesenti obseruatum, sed illis bonis earundem personarum defunctarum debent succedere aliae personae indiuisae cum eisdem restantes.

(10.) Item dicunt ipsi homines fuisse et esse in vsu, quod homo vtriusque sexus ex eisdem parrochiis habens liberos legitimos duos vel plures, talis homo dictos liberos legitimos (habens?) potest de bonis suis quibuscunque testari et ordinare, prout ceteri homines aliarum parrochiarum a Morgia inferius, quae subiiciuntur iuri, testari soliti sunt.

Nr. 518.

Bestätigung alten Gewohnheitsrechts über Erbfolge zu Riddes und Saxon durch Bischof und Landrath.

Sitten, 1577, Mai 18.

(Nach dem Original, Perg. mit den zwei anhängenden Siegeln des Bischofs und des Landeshauptmanns im Gemeindearchiv von Riddes.)

Nos Hildebrandus de Riedtmatten diuina miseratione

episcopus Sedunensis, praefectus et comes patriae Vallesii, nos item Johannes InAlbon balliuus atque oratores omnium septem desenorum patriae praedictae subnominati videlicet (*folgen die Namen*) Seduni ad consilium nostrum generale... congregati etc. (*ganz ähnlich wie in Nr. 475 wird der Erlass des Landrechts von 1571 und die Absicht, es im Unterwallis ebenfalls einzuführen, besprochen*). Et postquam sinceram illam voluntatem nostram per delegatos nostros etiam ad fideles subditos nostros communitatum Riddae et Sassonis deferri et eos ad obseruationem huiusmodi statutorum, in quantum illa conditionem talliabilitatis nobis super iis competentem non concernerent, hortari curauerimus, praedicti homines illico huiusmodi statuta cum gratiarum actione acceptauerunt, ... cum subiunctis precibus, quatinus certos articulos olim ipsis per nos et praedecessores nostros in vim libertatum et franchiesiarum concessos ipsis denuo approbare et ratos habere et declarare dignaremur, huiusmodi statuta subscriptis libertatibus nullatenus derogare et praeiudicium inferre debere.

Super qua requisitione iidem homines communitatum supradictarum per praenominatos delegatos nostros fuerunt remissi coram nobis. Cui remissioni satisfaciendo comparuerunt in huiusmodi nostro generali consessu discretus vir Laurentius Maioris notarius et curialis Riddae, atque probi viri Johannes de Saxo consindicus communitatis Riddae, Claudius Crestaz castellanus Sassonis, et Michaelis de Ochia illius loci consindicus tamquam procuratores et nuncii pro parte praedictarum communitatum Riddae et Sassonis, denuo cum humili gratiarum actione praementionata statuta nostra acceptantes et ad obseruationem eorundem admitti sibi que articulos subscriptos olim in vim libertatum concessos denuo corroborari requirentes.

Quos quidem articulos inferius insertos praedictis hominibus communitatum Riddae et Sassonis tamquam per (nos) prius in maiore parte concessos denuo confirmamus et approbamus, declaramusque, indulgemus et concedimus omni modo et forma prout sequitur.

(1.) Primo quod iam dicti homines et subditi nostri Riddae et Sassoni, cuiuscunque sexus et conditionis fuerint, possint et valeant testamentaria donatione seu alias perpetua inter viuos facta donare et legare cuinam voluerint, videlicet tertiam partem omnium et singulorum suorum bonorum immobilium cum honore et onere, sub tamen huiusmodi conditione et declaratione, quod casu quo bona talis donatoris ob defectum legitimae prolis nobis ratione talliabilitatis excheuta

forent, tunc heredes vel illi quibus alioquin ius albergandi bona defuncti competit et tribuitur, tertia illa parte bonorum, quam prius de gratia nostra speciali condonabamus, priuati et ab illa exclusi esse debeant; hoc etiam addito, quod si donator huiusmodi tertiae partis donationem faciat his qui conditione talliabilitatis non existente secundum naturam sui heredes fuissent, quod tunc illi donatarii astricti sint reliquas duas tertias partes bonorum defuncti albergare sub poena priuationis donationis praedictae; si vero donatio illa fiat alicui remotiori in gradu vel etiam non consanguineo, tunc proximiores in gradu illas duas tertias partes in albergamentum accipere possint si velint, si autem recusent illas albergare, tunc donatarius id facere teneatur sub poena annihilationis et perditionis donationis sibi factae.

(2.) Deinde quia saepe contingit, quod defuncti multotiens multum aeris alieni et debitorum molem relinquunt, ordinamus et decernimus, quod debita et onera quae per defunctum relinquuntur, per donatarium pro rata donationis suae et similiter per gubernatores nostros pro rata bonorum albergandorum supportari debeant.

(3.) Insuper admittimus et concedimus hominibus praedictis, prout etiam ipsis antea indultum per nos exstitit, quod parentes scilicet pater et mater superstites suis natis et liberis naturalibus et legitimis in eorundem liberorum defunctorum bonis succedant, et alter superstes succedat, dum tamen ipsi liberi defuncti alios suos post se non relinquunt liberos naturales et legitimos vel de tempore eorum obitus non essent separati, diuisi vel emancipati ab eorum parentibus, sed cum eisdem domicilium habeant et rem domesticam exercent, et alias non, nullo dolo nec cautela interuenientibus sed omnino et penitus cessantibus.

(4.) Item quoad vsumfructum bonorum nobis excheutorum non admittimus, vt superuiuenti coniugi aliquod vsufructuandi ius concedatur, hoc reseruato si homines communitatum praedictarum inter se conuenire valeant pro vsufructu habendo super tertia parte vt supra leganda vel donanda, vt id ipsis facere liceat, facto tamen prius albergamento reliquarum duarum tertiarum partium nobis excheutarum et spectantium.

(5.) Item si inter consanguineos defuncti in tuturum oriatur quaestio de proximitate et praeferentia albergamentorum accipiendorum, admittimus et concedimus, vt primitus per officarium et iuratos illius loci decernatur et cognoscatur, antequam huiusmodi controuersia ad superiorem iudicem deducatur.

(6.) Praeterea admittimus et volumus, quod bona nobis ratione manus mortuae excheuta taxari debeant per homines iuratos locorum, vbi excheutae accidunt, et si gubernator noster de illorum taxa fuerit grauatus, poterit illam reuideri facere per homines aliorum locorum, et si tunc comperiantur tales taxatores non sinceram sed fraudulentam taxam fecisse, debeant ab eorum officiis destitui et tamquam periuri secundum delicti quantitatem puniri.

(7.) Denique cum praenominati homines communitatum praedictarum hactenus in maiori parte vsi fuerint moneta Sabaudiae et inferiori, quam vero nos in solutum vsagiorum et albergamentorum ab eisdem tamquam apud nos minime cursalem non recipimus, igitur decernimus et admittimus, vt praedictae ambae communitates Riddae et Sassoni ex nunc in antea monetae nostrae subiiciantur et illa inter ipsos vtantur.

Decernentes quod statuta nostra supradicta praedictis hominibus communitatum Riddae et Sassoni duntaxat intelligi debent fore admissa in punctis et passibus talliabilitatem et manum mortuam aliaque iura nostra super eisdem nobis competentia non concernentibus et quibus iuribus nostris ac tertii cuiuscunque nec per praesentes nec per praedictam statutorum admissionem in aliquo derogatum iri vel praeiudicium inferri omnino non volumus minusque intendimus.

Mandantes propterea dilectis gubernatoribus et aliis quibuscunque officariis nostris sedis et gubernii Sti Mauritii Agaunensis praesentibus et futuris, quathenus statuta nostra atque articulos supra scriptos vt supra per nos concessos et admissos saepe nominatis probis hominibus Riddae et Sassoni iuxta eorundem tenorem et continentiam seruatis conditionibus inibi adiectis attendant, obseruent et per quoscunque inuiolabiliter obseruari faciant omni contradictione et quibuscunque contrariantibus non obstantibus, quoniam sic nobis placet et fieri volumus.

In quorum praemissorum fidem, robur et veritatis testimonium nos episcopus et balliuis praefati praesentes has litteras sigillorum nostrorum appensionibus atque generalis patriae secretarii manuali subsignatione communiendas esse duximus.

Datum Seduni in castro nostro Maioriae, die decima octaua mensis maii anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo septimo.

Per praelibatum Reu.^{mum} Dominum
Sedunensem Episcopum atque magnificos
Dominos Balliuis et Oratores omnium
septem desenorum ita concessum fuit.

Martinus Gunterus,
secretarius.

Nr. 552.

**Erneuerung der Freiheiten von Isérable durch Bischof
Hildebrand Jost.**

Sitten, 1624, März 20.

(Copie auf dem Staatsarchiv zu Sitten.)

In nomine sanctissimae et indiuiduae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen.

Nos Hildebrandus Jodocus Dei gratia Episcopus Sedunensis, sacri Romani Imperii Princeps, Comes et Praefectus Vallesii, vniuersis et singulis praesentibus et futuris notum pariterque manifestum fieri volumus, quod honesti et probi ministralis et sindicus communitatis et jurisdictionis nostrae Aceris totius, subditorum et jurisdictionariorum nostrorum, generalitatis nomine exponi Nobis fecerint, qualiter posteaquam ante annos circiter septuaginta luctuoso (proh dolor!) incendio, vti pluribus circumuicinis adhuc constat, euento totus pagus praedictus Aceris cum mediis¹⁾ et iuribus in eo existentibus concrematus et combustus ipsique Acerenses homines non solum aedificiis et aliis mobilibus et bonorum suorum titulis et instrumentis, verum etiam franchesiarum, bonorum vsuum et consuetudinum ab illustrissimis principibus et dominis suis, nostris autem antecessoribus, benigne indultorum et in eadem jurisdictione nostra obseruatorum iuribus et documentis misere spoliati exstiterint, iidem pro iurium suorum conflagratorum impetranda renouatione et recuperatione ad reuerendissimum in Christo patrem et dominum Hildebrandum de Riedmatten, piae memoriae praedecessorem nostrum, recurrerint, cuius jussu et commissione licet ministralis et seniores dicti loci eo tempore existentes fideliter jurequejurando attestantes vsus et consuetudines in praedicto loco et jurisdictione Aceris obseruatas retulerint, attamen eorundem confirmationem et punctuam declarationem scripto retrahere simplicitate potius vel inscitia, non sine iacturae et discriminis faciendorum periculo, neglexerint, quod ne forte incurrerent et in futurum paterentur, verum et nostra nostraeque mensae episcopalis jura conseruarentur, ipsique subditi et jurisdictionarii nostri Aceris in suis vsibus clementer manutenerentur, ad Nos suum altum Dominum et Principem refugientes humiliter requisierint et suppliciter petierint easdem consuetudines, franchesias et vsus jam prius indultos et abinde (vt praeest) a senioribus loci relatos et hucusque obseruatos ipsis per Nos approbari et in

¹⁾ documentis?

futuram rei memoriam scripto mandari, quod cum a Nobis et auctoritate nostra non alienum, verum juri et aequitati consentaneum, nec non ad jura nostra nostraeque mensae episcopalis Sedunensis conseruanda, ac denique ad subditos et jurisdictionarios nostros Aceris manui mortuae subjacentes in bonis suis vsibus manutenendos et aduersus detrahentes et temerarios inuahentes protegendos aequum, necessarium atque opportunum existimauerimus, re prius accurate perpensa de vsibus et consuetudinibus ac rescriptis dictorum Acerensium tam per diuersa instrumentorum ab incendio praeallegato citra conscriptorum jura et titulos et fide dignas testium examinatorum depositiones plenius informati, hasce libertates, vsus et consuetudines in praedicto nostro loco et jurisdictione Aceris obseruatas esse comperientes, a Nobis admittendas, confirmandas, et ne quid a majoribus nostris discedere videremur, verum vt eorundem vestigiis insistentes praedictos nostros subditos et jurisdictionarios in suis fidelitate et obedientia debitis incitaremus, iique pacifice inter se conuersari valerent et possint, corroborandas inque perpetuam memoriam scripto mandandas censuimus et volumus articulatim sequentes.

1. De creatione officiariorum.

Prouisio ministralis et officarii nostri loci Aceris fieri debet de biennio in biennium festo sancti Thomae apostoli, pro quo syndici et homines communitatis Aceris ad suum consilium congregati tres ex capacioribus (ministrale resignante incluso) eligunt, ex quibus Nobis Principi loci Domino praesentatis vnus in officiarium et ministralem pro nostro Principis et Domini beneplacito instituitur juramento in talibus solito.

2. De prouisione juratorum.

Vt ministralis de biennio in biennium confirmatur aut mutatur, ita etiam jurati, quorum sex esse debent, post juramentum Nobis Episcopo et Domino a ministrale praestitum eliguntur a sindicis et comunariis de Acere, qui quidem in manibus dicti ministralis juramentum praestare debent in talibus.

3. De sindicis et custodibus instituendis.

Duo syndici seu procuratores communitatis et totidem custodes territorii Aceris annualiter proximiorie die dominica circa festum Sancti Matthiae apostoli eliguntur, quibus sindicis sex ordinantur et conceduntur consiliarii; iidem omnes juramentum in manibus ministralis loci praestant solitum.

4. De cridis, citationibus et curia tenendis.

Cridae et assignationes coram officario loci fiunt per ipsum ministralem quolibet die dominico ante aut sub solis occasum in loco bancae curiae solito nec aliis tempore aut loco. Curia autem per dictum ministralem tenetur in loco ordinario singulis diebus Jouis circiter ad solis occasum, et si feriata fuerit, die Veneris sequenti, hora et loco praedictis.

5. De non detrahendis ab ordinario.

Non liceat cuicumque personae Acerensem hominem in jus vocare pro qualibet occasione vel causa nisi coram nobis praelibato Principe loci Domino, nostroque officiali Sedunensi et ministrale loci ordinario, nisi pro bonis extra jurisdictionem Aceris situatis.

6. De potestate donandi.

Liceat vnicuique personae legitimae aetatis et conditionis, mentis et rationis compoti, prout testari ita etiam legare et donare tertiam partem omnium et singulorum bonorum suorum mobilium et immobilium, in testamento vel extra, cum honore et onere, dummodo rite legauerit, juraque nostra alti Domini illaesa remanserint, hac tamen elucidatione, vt in casibus manus mortuae illam scilicet tertiam partem donare et legare liceat, quam albergando nostra liberalitate gratuito condonare solemus, et non aliam, quae quidem tertia pars donata eo casu vna cum reliquis duabus tertiis partibus conjunctim taxabitur, omnibus dolo et fraude semotis.

7. De successione indiuisorum.

Homini ab intestato decedenti succedunt liberi legitimi a proprio corpore procreati, et illorum defectu pater et mater, fratres et sorores, si et dum indiuisi cum defuncto fuerint, hac tamen declaratione, quod parentes, id est pater et mater, cum fratribus et sororibus defuncti aequaliter per capita succedere valeant in omnibus bonis mobilibus et immobilibus, nullo habito respectu vnde et a quo latere bona prouenerint. Hac etiam addita declaratione, quod nepotes et neptes cum patris et auunculis ac amitis aequali portione jure repraesentationis per stirpes, non autem per capita, trahere et succedere possint, dum et quamdiu vt praeest indiuisi cum defuncto fuerint.

8. De successione parentum.

Deficientibus liberis legitimis, fratribus et sororibus defuncti indiuisis, tunc succedunt pater et mater in omnibus

bonis suorum liberorum praedefunctorum, siue diuisi fuerint siue indiuisi, idque ex liberali nostro indulto, nisi nostris et mensae nostrae episcopalis aduersaretur juribus.

9. De successione illegitimorum.

Liberi illegitimi et bastardi succedunt in omnibus bonis suae matris aequali portione cum legitimis liberis a legitimo thoro natis, vel etiam totaliter, legitimis liberis deficientibus.

10. De albergamentis.

Bona omnia tam mobilia quam immobilia diuisorum sine liberis legitimis a proprio corpore procreatis decedentium Nobis praelibato Principi et Domino vigore manus mortuae echeuta deuoluuntur eaque instante nostro procuratore fisco per ministralem et juratos loci taxentur et referentur, factaque, si necessarium fuerit visum, taxae ad instantiam eiusdem fisci nostri remissione proximioribus in gradu consanguinitatis tam ascendendo quam descendendo, nullo respectu lateris a quo promanarunt habito, albergantur, dummodo illi proximiores consanguinei infra sex hebdomadas a morte defuncti numerandas legitime se Nobis Domino aut nostro procuratori fisco albergaturos praesentauerint; sin minus, elapsis iisdem sex hebdomadis et nulla per proximiores praesentatione facta, talia echeuta bona pro nostro Principis beneplacito albergari possunt.

11. De vsufructu.

Vsufructus per superstitem conjugum percipitur et possidetur in omnibus et per omnia ad mentem patriae nostrae Vallesii statutorum, juribus tamen nostris manus mortuae illaesis remanentibus.

12. De priuatione comunarii.

Mulier tam virgo quam vidua, si extraneo aut alteri quam comunario Aceris nupserit, eo ipso actu cadit a jure comunarii, alius autem vtriusque sexus et cuiuscunque conditionis dicti loci comunarius, si quid verbo vel opere contra comunitatem Aceris egerit siue machinatus fuerit, in bannum a Nobis alto Domino edendum incurrit et consensu nostro Principis interueniente jure comunarii priuatur.

Quos quidem supra scriptos libertatum et vsuum articulos fide dignos visos et probatos ac hucusque vsitatos Nos Episcopus et Dominus Aceris praelibatus liberali animo pro-

Nobis et nostris successoribus confirmauimus et corroborauimus, prout harum serie nostra auctoritate admittimus, concedimus et approbamus atque inuiolabiliter obseruatos iri volumus, mandamus et injungimus.

Datum Seduni in castro nostro Majoriae die vigesima martii anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, sub appensione sigilli nostri et notarii subsignatione in eorum fidem indubiam et veritatis euidens testimonium interpositis, praesentibus ibidem egregiis et prudentibus Joanne Piemont ciue Sedunensi capitaneo Martigniaci, Joanne Collumbino Sti Mauritii Agaunensis, notariis et aulicis nostris, honesto Joanne Fabri ministrali nostro Aceris, Michaelae Mounet sindaco et Jacobo Mollet praedicti loci Aceris in testes sump-tis, atque Joanne Vdreto ciue et notario Sedunensi nostroque inferioris Vallesiae procuratore fiscali praemissorum stipulatore subsignato, die annoque premissis inuictissimo Ferdinando imperante.

Per Reuerendissimum et illustrissimum
Principem et Dominum, Dominum Epi-
scopum praelibatum, vt praeest, admissum
et concessum.

Johannes Vdretus,
notarius publicus.

Nr. 555.

Gleiche Urkunde für Nendaz wie Nr. 475 für St. Maurice.

Sitten, 1575, December 16.

(Notarialisch beglaubigte Copie vom Original, auf dem Staatsarchiv zu Sitten.)

Der Eingang ist identisch mit demjenigen der Urkunde für St. Maurice, oben Nr. 475, mit den daselbst angegebenen Abweichungen.

Primum capitulum.

De modo succedendi directe.

Bona personae decedentis ab humanis intestatae perueniunt ad liberos suos legitimos a proprio suo corpore procreatos superstites, et si non relinquat liberos legitimos, pater et mater ipsius defuncti aequaliter cum aliis fratribus et sororibus defuncti utroque latere iunctis aequalibus portionibus eidem defuncto succedunt in omnibus suis bonis mobilibus et immobilibus, et hoc ad mentem et formam articuli libertatis et franchisesiae dictae communitati concessae.

Deficientibus autem patre et matre, fratribus et sororibus defuncti, tunc personae ab intestato decedenti succedere debent proximiores in gradu, nullo habito respectu vnde aut a quo latere ipsa bona processerint.

Cap. II.—VI. *übereinstimmend mit St. Maurice.*

(Cap. VII.) **De vsufructu virorum et mulierum.**

Coniux vtriusque sexus alterum superuiuens quibuscumque bonis suae coniugis sine liberis legitimis a suo corpore procreatis superstitibus decedentis ad humanam eius vitam vti et per vsumfructum frui et gaudere poterit omnibus bonis sui coniugis defuncti cum honore et onere. Existentibus vero liberis legitimis superstitibus, duntaxat medietate bonorum defuncti vtitur cum semiparte onerum. Hac addita declaratione, quod si vir defunctus relinquat liberos legitimos vel illegitimos, quod vxor vsumfructum pro medietate tenens etiam onera educationis liberorum sui quondam mariti vna cum reliquis oneribus pro medietate supportet.

Item quod si mulier vsufructuaria impudice et inhoneste post obitum sui quondam viri vixerit, eo ipso casu vsumfructum suum committat.

Cap. VIII. *bis zum Schluss identisch mit St. Maurice ausser den kleinen bei Nr. 475 angegebenen Aenderungen.*

Nr. 570.

Bestätigung alter Gewohnheiten zu Conthey hauptsächlich Erbfolge betreffend durch Bischof und Landrath anlässlich der Einführung der Statuten von 1571.

Sitten, 1577, December 16.

(Copie auf dem Staatsarchiv zu Sitten.)

Nos Hildebrandus de Riedmatten Dei et sedis apostolicae gratia Episcopus Sedunensis, Praefectus et Comes patriae Vallesii, nos quoque Anthonius Mayenchet Balliuus atque dilecti Oratores patriae iam dictae septem desenorum subnominati videlicet Petermandus de Platea banderetus, Mauritius Vualdin castellanus, Philippus de Torrente capitaneus deseni, Bartholomaeus Merotten, alias capitaneus militiae, Dominus Maxchari, Bartholomaeus de Vex capitaneus Sausisiae, pro et nomine ciuitatis et deseni Sedunensis, Franciscus de Platea castellanus et banderetus, Stephanus Curtoz pridem signifer

militiae, Thomas Sapiensis signifer Anniuisii, pro deseno Sirri, Jacobus Brunier maior, Johannes de Cabanis capitaneus deseni, Bartholomaeus Allet maior, nomine deseni Leucae, Theodulus Kalbermatten maior et banderetus, Johannes Rotten pridem gubernator castellanus Martigniacy, Gilliarus Matishz capitaneus deseni, Christianus Netztchen maior Morgiae, pro deseno Raroniae, Johannes Inalbon pridem balliuus nunc castellanus, Nicolaus En Eyz nuper capitaneus, Johannes Anthenmatten alias castellanus, Nicolaus Sterrez maior in Schouson, pro et nomine deseni Vespiae, Petrus Streler capitaneus et castellanus inferioris Castellionis, pro deseno Brigae, Matthaeus Schiner capitaneus deseni, Nicolaus Binderbotten alias castellanus gubernator, Melchior Fabri, Johannes in Superiori Villa olim maiores, Martinus Jost notarius, nomine deseni Conschiae, Seduni ad consilium generale et ordinarium celebrandum pro reipublicae nostrae negotiis consultandis et administrandis vniuersaliter congregati serie praesentium fidem facimus vniuersis et singulis quibus expedit, quod cum fideles et dilecti homines subditi nostri castellaniae Contegii hisce superioribus annis diuersis repetitis vicibus humiliter institerint, quatenus libertates et franchises ipsorum praedecessoribus olim per illustres Sabaudiae comites et duces concessas etiam sibi et eorum successoribus confirmare et ratas habere vel nostro beneficio et liberalitate nouas a veteribus non multum discrepantes beneuole elargiri et sibi impertiri dignaremur, pendente itaque deliberatione nostra super requisitione iam dicta per Dei optimi maximi gratiam et inspirationem feliciter contigit, quod nos accedente vnanimi voto et suffragio communitatum omnium septem desenorum antiqua patriae nostrae statuta diligenter et exacta reuisione, etiam amplificatione correximus ac in meliorem atque formaliozem ordinem redegimus et eadem pro nobis et successoribus nostris authentica sigillorum appensione approbatione confirmauimus, et quorum statutorum vsu prima statim fronte tantam et adeo copiosam frugem circa iustitiae cultum, virtutum incrementum, scelerum correctionem, litigiorum abbreviationem ac totius reipublicae vtilitatem in dies promanare et emergere perspeximus, vt non abs re nec alienum ab officio et munere nostro esse duxerimus, eadem statuta et instituta nostra fidelibus et dilectis nostris a Morgia Contegii inferius communicare et eosdem hortari vt in posterum iisdem legibus, quibus et nos et tota Superior Vallesia vtitur, contentari et se submittere vellent.

Cum vero inter reliquas communitates etiam dilecti sub-

diti nostri castellaniam Contegii praedictae, intellecta mente et voluntate nostra, se morigeros et obtemperantes iussibus nostris exhibuerint statutaque ipsa prout reliqui subditi grato animo acceptauerint, interim tamen non neglexerunt nos intimis precibus exorare, vt praenarratis statutis non obstantibus saepe petitas libertates et franchises necnon has subscriptas exceptiones in statuta praedicta ipsis admittere, obseruare et de nouo confirmare non dedignemur.

Comparentibus itaque coram nobis nobilibus honestis et probis viris inferius nominatis tanquam syndicis et ad hunc effectum nomine communitatis totius castellaniam Contegii missis et delegatis procuratoribus et nunciis ad diem praesentem pro audienda mentis nostrae declaratione remissis, videlicet Johanne Bersod castellano et bandereto nostro, Johanne de Vergeriis alias maiore, capitaneo, Petro Boremoo, Petro Buttis olim saltheriis, Francisco Germaneydo, Matthaeo Ducis, Johanne Davens, Seuerino Guynchoz, Francisco Coppey et Francisco Formandy, pro quarto burgi Platheae et Plan Contey, Aymone et Georgio Deyserix, Henrico Benset, Bartholomaeo Deyserix, Bartholomaeo Boiardi, Johanne Hudry, Vulliermo Cudrey et Claudio Galliei, pro quarto Udri et de Magnoz, Petro, Jacobo et Henrico Sauthier, Seuerino Davens, Anthonio Sauthier, Francisco, Petro et Anthonio Sendryn, Johanne de Furno, Francisco Courtinaux, Petro Praux, pro quarto Davens et Herdes, Seuerino Dynant et Johanne et Francisco Gitten, Francisco Deysymon, Petro Brugiez, Johanne Donex, Ludouico Fontanaz, Matthaeo, Anthonio et Petro Oggey, pro dimidio quarto de Premplan, Seuerino Hudry, Francisco de Puy, Petro Charreyroz, Johanne Fontanaz, Hudrico Ducis, Francisco Francher, Johanne Coppey, Seuerino Villaz, Anthonio Bortruioz, Anthonio Germaney, Petro Albi, Seuerino Reymondi, Jacobo Ducis, Johanne Dayen, Sebastiano Cherchii, Jacobo Fernandi, Guilielmo Dayens, Johanne Reynoz, pro quarto d'Alliomes, quorum omnium nomine quo supra seriosissimis et aequissimis denuoque iteratis requisitionibus animis beneuolis et gratiosis annuere volentes, damus, largimur et concedimus saepe memoratis probis hominibus castellaniam nostrae Contegii et posteritatibus eorundem libertates, franchises, immunitates et exceptiones ac reseruaciones in statuta nostra vniuersalia, prout et quemadmodum inferius describitur.

Quas quidem libertates et exceptiones subsequentes in quantum se extendere possunt praememoratis hominibus castellaniam nostrae Contegii per quoscumque obseruari vo-

lumus et iubemus, in ceteris vero quibuscumque casibus hisce articulis non contrariantibus volumus vt vniuersalia nostra statuta praedictis hominibus castellaniae Contegii et posteritati eorundem abinceps in omni iudicio et extra sint pro lege et sanctione inuiolabili.

Quarum franchesiarum, reseruationum et exceptionum tenor et continentia est talis, prout in prosubsequenti folio sub cuiuslibet articuli titulo seriatim describitur.

Explicit praefatio.

Art. 1. De libertate et facultate testandi.

Omnibus et singulis vtriusque sexus personis et hominibus praementionatae communitatis et castellaniae Contegii, legitimae aetatis et procreationis et ab omni conditione talliabilitatis liberis et ad testandum capacibus liceat de bonis suis mobilibus et immobilibus sitis et existentibus intra confines castellaniae Contegii tam testamentaliter donatione causa mortis quam donatione inter viuos seu per codicillos vel etiam in defectu notariorum simpliciter sine scripturis coram testibus fide dignis dare, disponere et legare ad eorum beneplacitum, obseruata tamen dispositione iuris ciuilibus circa legitimationem veri heredis et ceteras solemnitates requisitas. Hac subiuncta exceptione, quod parentibus non licitum sit ipsorum filios legitimos exhereditare vltra legem et mentem statuti nostri, nisi illi filii conuincantur esse ingrati, id est committentes aliquod delictum, ob quod secundum iuris ciuilibus sanctionem hereditate parentum licite priuari queant, quem reatum filiorum testator in casu exhereditationis in suo testamento expresse specificare debet.

Art. 2. De substitutionibus.

Quoniam secundum ius ciuile et diutius obseruatum vsum in tota castellania Contegii substitutiones sunt et fuerunt suis veris heredibus fieri admissae, liceat igitur cuilibet personae praedictae communitatis in suo testamento substituere suis liberis legitimis heredibus institutis *u. s. w. gleichlautend mit St. Maurice (oben Nr. 475) Cap. III.*

Art. 3. De donationibus in testamento seu alias factis.

Si quis alicui personae certam partem bonorum suorum siue etiam omnia bona sua donauerit, dicendo: talia bona huic tali dono post meum ab humanis decessum, tunc si talis donatarius ab huiusmodi saeculo migrauerit ante donatorem nullis sibi relictis liberis legitimis aut liberorum liberis,

tunc talis donatio nulla sit et reuertatur donatori et suis heredibus.

Art. 4. De institutione dotis filiarum legitimarum.

Conceditur parentibus vt in contractibus matrimonialibus suarum filiarum legitimarum seu alias per donationem vltimarum voluntatum filiabus suis dotem pecuniam pro iuribus suis paternis et maternis ac legitimae constituere valeant; qua institutione dotis mediante dictae filiae et earum heredes super bonis suorum parentum tenore contractus cessis et quittatis aut alias pro dote in testamento dispositis nihil aliud praeter dotem ipsam petere et exigere habeant, saluis et reseruatis legitimis excheutis tam per mortem parentum quam aliorum consanguineorum ab inceptis eueniendis.

Art. 5. De eadem dotis institutione tam filiis quam filiabus facta.

Admittitur praeterea parentibus seu patribus habentibus quamplures liberos legitimos masculos et femellas, quatenus in eorum vltima voluntate disponendo de suis bonis aliquibus suis liberis masculis et femellis certam dotem pecuniam seu aliquam partem bonorum suorum nomine dotis et portionis hereditatis instituere valeant, et quod talis dotis institutio siue per contractum matrimonialem siue per testamentum aut ordinationem vltimae voluntatis facta valeat et viribus subsistat; hoc cauto, quod patres filios suos legitimos bonis suis non possint priuare vltra statutum supra dictum.

Art. 6. Cui vel quibus sit instituenda legitima.

Testator quicumque non tenetur aliis quam suis heredibus legitimam instituere. Sui vero heredes dicuntur hi qui ab ipso in legitima linea descendunt; quibus deficientibus etiam in numero suorum heredum annumerantur pater et mater. Alios vero praeter hos, sicut fratres, sorores, agnatos, cognatos atque consanguineos a linea ascendenti et descendenti procedentes testator nisi sponte velit legitimare non tenetur.

Art. 7. De modo succedendi directe.

Bona hominis franci et liberi et in legitimo matrimonio nati decedentis ab humanis ab intestato perueniunt ad suos liberos legitimos a proprio corpore suo procreatos superstites, et si non relinquat liberos legitimos, pater et mater ipsius defuncti cum aliis fratribus et sororibus ipsius defuncti vtroque latere iunctis aequalibus portionibus eidem defuncto succedunt in omnibus suis bonis mobilibus et immobilibus.

Deficientibus autem patre et matre, fratribus et sororibus defuncti, tunc personis ab intestato decedentibus succedere debent proximiores in gradu, nullo habito respectu vnde aut a quo latere eadem bona processerint, vsque ad quartum gradum consanguinitatis inclusiue.

Art. 8. Viri succedunt in bonis mobilibus suarum vxorum liberos non habentium.

Gleichlautend wie St. Maurice (oben Nr. 475) Cap. VIII.

Art. 9. De vsufructu.

Coniux vtriusque sexus alterum superuiuens bonis quibuscumque sui coniugis sine liberis legitimis a suo corpore procreatis superstitibus decedentis vita sua durante per vsufructum frui et gaudere poterit cum honoribus et oneribus; relictis vero per defunctum liberis legitimis superstitibus, superuiuens coniux duntaxat medietate bonorum defuncti vtatur (cum honore et onere seu) cum semissa onerum supportatione.

Art. 10. De protestatione vsufructus.

Gleichlautend mit Cap. XI von St. Maurice bis zu den Worten aut ab heredibus mulieris defunctae requiratur, dann heisst es hier weiter: tunc enim tenebitur ad recognoscendum et ad faciendum inuentarium bonorum quibus vti vult infra sex hebdomadas immediate sequentes. Der Schlusssatz des Art. 11 von St. Maurice dagegen fehlt hier.

Art. 11. De aetate legitima et praefinita matrimonium contrahentibus.

Gleichlautend mit St. Maurice Cap. XIII.

Art. 12. Qualiter inquisitiones sint faciendae.

Contra homines castellaniae Contegii praedictae inquisitio nulla fiat absque denunciatione praecedente, nisi in casibus criminalibus, in quibus sine denunciatione inquiri possit.

Art. 13. Debita delinquentium de eorum bonis emendentur.

Si quis ob sua demerita et forefacta a patria relegatus vel ad mortis supplicium condemnatus extiterit, vnde bona illius confiscarentur, tunc in primis expensae iustitiae, inde debita creditoribus de bonis illius delinquentis soluantur, et quod supererit demum domino applicetur.

Art. 14. De recipiendis burgensibus siue comunariis.

Si forensis et extraneus mensae nostrae episcopalis Sedunensis vel etiam dominis patriotis nulla seruili conditione adstrictus per burgenses castellaniae Contegii accedente consensu gubernatoris Sti Mauritii pro tempore existentis in comburgensem et comunarium Contegii receptus per dominum suum intra annum et diem a data receptionis repetitus non fuerit, is abinde verus burgensis habeatur et iisdem priuilegiis prout reliqui burgenses vtatur et abinceps amplius repeti non possit. Intragii vero, quod per nouos burgenses dabitur, medietas gubernatori nostro, residuum communitati applicetur.

Art. 15. De institutione sindicorum seu procuratorum.

Admittitur praedictis burgensibus et hominibus eiusdem communitatis, dum et quotiens voluerint deputare et eligere syndicos et procuratores, qui de bene administrandis rebus et negotiis publicis dictae communitatis in manibus castellani illius loci iuramenta praestare debeant; qui etiam de pascuis, nemoribus et aliis rebus comunibus cum iis qui secum participare solent, ordinare possint, reseruato quod de dictis bonis comunibus nihil inter se diuidere neque sibi quicquam particulariter appropriare debeant absque consensu Dominorum.

Art. 16. De mensuris et ponderibus.

Mensurae bladi et vini necnon pondera iustificentur et moderentur per gubernatorem nostrum Sancti Mauritii Agauensis de consilio et in praesentia castellani et iuratorum ipsius castellaniae.

Art. 17. De nundinis tenendis.

Admittitur praedictis hominibus praedictae castellaniae Contegii, vt annis singulis die prima mensis maii possint et valeant in burgo illius loci tenere et celebrare nundinas publicas. Ementes autem soluere debebunt vendas assuetas de et pro rebus emptis, quas castellanus recuperare teneatur, qui pro suis laboribus ex eisdem percipiat tertiam partem, residuum tradat domino gubernatori nostro.

Art. 18. De contributione onerum comunium.

Omnes et singuli praedictae communitatis et castellaniae Contegii burgenses et comunarii et inhabitantes secundum requantias ¹⁾ assuetas ad omnia onera comunia contribuere teneantur.

¹⁾ Requestas?

Conclusio.

Prohibetur praememoratis hominibus castellaniae nostrae Contegii, ne imposterum aliqua noua statuta et arresta facere habeant cedentia in praeiudicium Superioritatis et Principatus nostri personarumque a Morgia Contegii superius residentium, sine praescitu et voluntate dominorum suorum vel gubernatorum eorundem. Concedentes eisdem hominibus, vt abinceps beneficio supradictarum libertatum, franchesiarum et declarationum in omni iudicio et extra se tueri et iuuare valeant, in reliquis autem causis et negotiis, de quibus superius nulla fuit facta mentio neque declaratio, recurrant et posthac vtantur statutis nostris generalibus nouissime restauratis et stabilitis, quae ipsis pro stricta lege, viuendi norma et imitandi scopo sint praefixa et iniuncta, iuribus tamen nostris quibuscumque alterius ratione in praemissis saluis et illaesis semper remanentibus.

In quorum praemissorum omnium firmitatem et robur ac euidens veritatis testimonium praesentes ad perpetuam rei memoriam appensione sigillorum praelibati Reuerendissimi Domini nostri Sedunensis Episcopi et praefati Balliui nostri atque generalis consilii secretarii manuali subsignatione fulcitas et confirmatas fieri et supranominatis sindicis sic requirentibus expediri iussimus.

Datas Seduni in castro nostro Maioriae in praedicta nostra vniuersali congregatione die decima sexta mensis decembris anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo septimo.

Per praelibatum Reu.^{mum} dominum nostrum Sedunensem Episcopum atque magnificos dominos Balliium et Oratores omnium septem desenorum ita concessum et admissum fuit.

Martinus Gunterus
secretarius.

 Nr. 597.

Bestätigung alten Gewohnheitsrechts für Vouvry durch den Landrath anlässlich der Einführung der Statuten von 1571.

Sitten, 1578, December 17.

(Nach dem Original, Perg. mit dem an rother Seidenschnur hängenden Siegel des Landeshauptmanns, im Gemeindearchiv von Vouvry.)

Nos Anthonius Mayenchet balliuis et oratores omnium septem desenorum patriae Vallesii subnominati, scilicet (*folgen*

die Namen), Seduni ad generale consilium nostrum celebrandum congregati . . . (die Fortsetzung fast wörtlich gleich wie in Nr. 475, bezüglich Angebot des Landrechts von 1571 an die Leute des Gubernements von Monthey und deren Bedenken, und in Folge davon) comparuerunt coram nobis honesti et probi viri Johannes Sovy syndicus, Hyppolitus filius quondam Petri Melley associati erudito viro Johanni Denuce notario et castellano tanquam procuratores et nuntii propter infra-scripta peragenda per homines totius communitatis et parochiae Vuriaci specialiter deputati et missi, qui quidem nominibus praemissis cum ingente et humili gratiarum actione, intellecta sana beneuola voluntate et gratiosa intentione nostra praementionata statuta et capitula acceptauerunt et approbauerunt, reseruatis et exceptis certis eorum legibus et consuetudinibus ab aeuo citra in praedicta communitate Vuriaci vsitatis, quas scripto traditas per seriem articulorum ipsis etiam abinceps ratas haberi, confirmari et obseruari humiliter requisierunt. Nos itaque balliuus et oratores praefati exceptionibus et articulis nobis pro parte . . . hominum . . . Vuriaci porrectis visis et examinatis . . . articulos et exceptiones subsequentes communitati Vuriaci admittimus, largimur et concedimus, ita vt nostra statuta iis praeiudicare non possint nec debeant, vt ecce:

(1.) Primo quod bona cuiuslibet personae dicti loci Vuriaci ab omni talliabilitate et conditione¹⁾ liberae decedentis ab humanis intestatae legittima et recta successione deueniant suis liberis in legittimo thoro natis superstitibus. In bonis vero mulierum omnes eorum liberi tam naturales et illegitimi quam etiam legitimi aequali portione et indiscriminatim succedant; deficientibus vero liberis succedere debeant pater et mater defuncti vel alter eorundem superuiuens cum fratribus et sororibus eiusdem altero laterorum (sic) iunctis superstitibus, sic tamen vt fratres et sorores paterni et paternae in bonis paternis et iis qui paternorum bonorum naturam habent ad formam statuti, et vterini fratres et sorores in bonis maternis et naturam eorundem habentibus succedere debeant. Si vero eidem defuncto intestato non sint pater, mater, fratres vel sorores superstites, tunc eidem succedere debeant patruus et auunculi et in eorum defectu proximiores in gradu consanguinitatis vsque ad quartum gradum inclusive, ita vt bona paterna paternis, materna vero maternis here-

¹⁾ So das Original. Sollte aber nicht servili zu ergänzen sein? Vgl. gegen Ende dieser Franchise die entsprechende Formel.

dibus, prout hactenus in perpetuo vsu fuerunt, deuoluantur, reseruatatis bonis quae alicui praecedenti substitutioni subiicerentur.

(2.) Item cuilibet personae loci Vuriaci existenti legitimaetatis et capacitatis liceat de bonis suis disponere, testari et ordinare ad eius voluntatem tam inter suos liberos quam alios heredes, dotem et portionem pecuniam suis filiabus pro omni iure earum successionis paternalis instituendo et alias testando, prout eidem testatori placuerit, dummodo limites legitime testandi ad formam dispositionis iuris ciuili non excedat. Sub hac addita lege, quod parentibus id est patri et matri licitum non sit exhereditare eorum filios nisi euento aliquo casu in statutis expresso, quo mediante a hereditate deiici possint.

(3.) Item quod substitutiones factae in testamentis tam virorum quam mulierum dictae communitatis Vuriaci obseruari firmitatemque et efficaciam habere debeant vsque ad tertiam substitutionem tam inter liberos suos quam alias personas, sic tamen quod heres substitutus habens liberos legitimos ex suo corpore procreatos superstites, postquam ad aetatem viginti quinque annorum peruenerit, de suis bonis aliud validum condere possit testamentum, cui prius facta substitutio praeiudicare non valeat. Substituti vero, qui liberos legitimos superstites post se non relinquunt, de bonis substitutis testari aut ad voluntatem substituentis excedere non possint, hoc etiam addito, quod bona substituta vendita heres proprietarius vel substitutus repetere non queat neque substitutio aliqua fieri possit in praeiudicium alti Domini.

(4.) Item quod bona mobilia quaecunque vxorum post matrimonium contractum et consumatum decedentium sine liberis superstilibus ex vsu et ipso iure pertineant eorum maritis, nisi accideret dictas vxores non esse proprietarias, sed earum dotem et hereditatem constare in pecuniis promptis, pro quibus eisdem per virum nondum esset facta assignatio vel assecuratio, eo tunc illae summae pecuniales non debent in sortem bonorum mobilium computari, sed tenent naturam bonorum immobilium. Superuiuenti vero mulieri bona sua mobilia per heredes defuncti mariti restitui debent.

(5.) Itemque mulieres quae per viros testamentaliter tutrices suorum liberorum instituuntur, ad administrationem huiusmodi tutelae admitti non debeant nisi mediante confectioe inuentarii et redditione computi et adhibitione duorum ad minus reconsiliariorum, sine quorum consilio aliqua pacta de bonis eorundem suorum liberorum inire aut concludere non possint, sub poena nullitatis huiusmodi contractus. Talis

propterea tutelae administratio admitti debeat duntaxat quamdiu eadem tutrix in modesto et pudico viduali statu permanserit et non vltra, quacunq̄ue potestate sibi per maritum defunctum tenore sui conditi testamenti, quod nihilominus in aliis suis clausulis obseruetur, attributa non obstante.

(6.) Item quoad vsufructum in dicta parrochia Vuriaci abinceps hunc ritum obseruari volumus, quod vir superstes omnibus bonis immobilibus vxoris suae sine liberis superstibus legitimis defunctae eius vita durante sub debito inuentario vti possit, si vero ipsa coniunx praedefuncta relinquat liberos, vir medietate duntaxat eius bonorum vtatur. Mulier vero vidua per eius maritum derelicta, cum vel absque liberis, super bonis defuncti sui mariti suum victum et vestitum secundum eius statum et bonorum facultatem quamdiu in nupta manebit assequi aut pensionem annualem loco sui vsufructus ad cognitionem et taxam proborum dicti mandamenti Monteoli absque aliquo onere debitorum sui mariti percipere debet, vel etiam si malit et praeoptet, poterit dotem et bona sua quaecunq̄ue cum debito augmento dotis ad se retrahere et ad eius libitum vita sua durante facere absque alicuius vsufructus protestatione per ipsam vsufructuariam fienda, ita tamen quod augmentum dotis post obitum huiusmodi mulieris ad heredes constituentis ipsam dotem reuertatur.

Quae quidem statuta patriae nostrae pridem instituta sub reseruationibus, articulis et exceptionibus superius declaratis praememoratis hominibus communitatis Vuriaci ex nunc in antea pro stricta et inuiolabili lege tam in iudicio quam extra per quoscunq̄ue inconcusse obseruari volumus et iubemus cum et sub praemissis annexa declaratione, quod in facultate testandi, donandi, substituendi et succedendi superius expressa et concessa exclusos et nullo modo comprehensos esse volumus homines extra matrimonium natos nobisque vel tertio talliabilitate vel alia quauis seruili conditione subditos.

In quorum praemissorum omnium firmitatem, fidem, robur et euidens veritatis testimonium praesentes ad perpetuam rei memoriam appensione sigilli praefati balliui nostri atque generalis consilii secretarii manuali subsignatione fultitas et confirmatas confici et supranominatis sindicis sic requirentibus expediri iussimus.

Datas Seduni in castro Maioriae in praedicta nostra vniuersali congregatione die decima septima mensis decembris sub anno incarnationis Saluatoris nostri Jhesu Christi millesimo quingentesimo septuagesimo octauo.

Martinus Gunterus, secretarius.

Nachtrag.

Der verfügbare Raum gestattet die in der Einleitung § 5 A am Ende in Aussicht genommene Veröffentlichung der Revision des Landrechts, welche 1780 zum Abschlusse gelangt ist.

Revision der alten Abscheiden von anno 1597 bis an das Jahr 1773 inclusive.

Articulus primus.

Von der Verlassenschaft der hingerichteten und exequierten Personen.

Zuvorderst sollen die rechtmässigen Unkosten davon bezahlt werden, nachgehends die billige Schulden und dann endlich wenn etwas bleibt, solle das bannum judici bezahlt werden, das Uebrige an de jure.

Articulus secundus.

Von der Obliegenheit der Herren Richter in Criminalprocessen. (vgl. Nr. 253.)

Erstens sollen sie keinen ohne billiche Ursache in Gefangenschaft nehmen, damit nicht unbehutsamer Weise ein Unschuldiger an seiner Ehr verletzt werde.

Andertens in Aufnehmung aller Kundschaften, so Ehr und Gut berührt, sollen zwey der ansehnlichsten Beysitzeren darzu beruft werden, damit dieselbe sehen mögen, was für ein Eyd und Fragen den Zeugen fürgehalten werden, so sollen auch ihre depositiones einem jeden die seine von Wort zu Wort vorgelesen werden.

Drittens dass dieselbige Zeugen fromm und aufrecht und ihnen Eyd und Ehr wohl zu vertrauen seye; dass sie auch keine Feindschaft noch Criminalhandel mit der accusierten Person gehabt.

Viertens dass der numerus competens deren also wie ob qualificierten Zeugeren sich befinde, und dass aufs wenigst zwey von einer Materie sagende einhellig seyen.

Fünftens soll ein jeder Richter sowohl in Aufnehmung der Kundschaften als anderen Proceduren alle Suggestivfragen abwenden, und also sich ganz behutsamen erzeugen, damit nicht etwan die Unschuldige um Hab und Gut, auch die seinige in höchster Unehre aus Mangel der gebührenden Vorsichtigkeit gerathen.

Sechstens sollen die Richter und Assessores sonderbar in Obacht nehmen und wohl erwägen, ob die Schwäre der Indicien oder Inzichten laut dem Recht genugsamen seyen, eine Criminal Person ad torturam oder peinliche Fragen zu urtheilen, und hierin mit aller Behutsamkeit zu procedieren, damit niemand aus Abgang genugsamer Indicien durch die Marter Unrecht widerfahre.

Siebendens wenn die Tortur vorgenommen wird, sollen sie ernstlich betrachten die Stärke oder Schwachheit der Person und demnach die lindere oder schärfere Tortur nach Erheischung der Sache sowohl laut denen Lands-Ordnungen als Aussag der Criminalisten Authoren gebrauchen.

Achtens solle laut dem Criminalrecht die in der Tortur und loco torturae gethane Bekantniss extra locum torturae (servato ad minimum unius diei intervallo) ratificiert werden.

Neuntens werden alle Richter ermahnet, dass sie in Kösten gleich in Annehmung der Kundschaften, der Proce-
duren und Executionen soweit möglich verschonen, damit den armen hinterlassenen Waisen und Erben desto mehr Gnade könne bewiesen und erzeiget werden.

Endlichen damit eine Gleichförmigkeit im ganzen Vatterlande beobachtet werde, so solle in Criminalibus so viel möglich der Frölichsburg, in dessen Abgang aber der mildeste Author gebraucht werden.

Articulus tertius.

Von den Verbannisierten (vgl. Nr. 252).

Es ist hochoberkeitlich erkläret worden, dass wenn eine Obrigkeit eine Person wegen begangener Lasteren verbannisiert, so solle es den Verstand haben, dass sie nicht allein aus den Zehnden, sondern aus dem Lande und zugleich aus der ganzen Eydgnossschaft verbannisiert sey, solle auch davon sowohl den übrigen löblichen Zehnden als der Eydgnossschaft avis gegeben werden.

Es wird zudem noch weiters erkläret, dass die Obrigkeit oder Zehnden, wo sie in Verhaft gezogen, fähig sey, selbe durch die übrige löbliche Zehnden und Gerichtsbarkeiten führen zu lassen, ohne vorher um den Transit des Richters Licens zu begehren, nur allein soll ein Schein von der Obrigkeit, wo der Delinquent vertriben, den Führern mitgegeben werden.

Ein Flüchtiger aber, wo er kann ertappet, kann auch arretieret werden ohne des Ortsrichters Erlaubniss, jedoch nachdem er arretieret, soll selber dem Richter gestellt werden.

Articulus quartus.

Von Criminal Process wider die Landsflüchtigen.

Auf die Frage, ob wider einen mit schwären Indicien beladenen Flüchtling, wenn er schon nicht angeklagt noch überwiesen, weder in Arrest gesetzt worden, noch den Arrest gebrochen, dennoch ein Criminal Process angestellt werden könne.

Ist erklärt worden, damit die schwäre Laster nicht ungestraft bleiben, und die Landsflüchtige den Rechten und wohlverdienten Strafe sich entziehen mögen, dass man wohl wider solchen mit schwären Indicien beladenen ein Criminal Process anheben könne, wozu alle Obrigkeiten des Vatterlandes, um dem lieben Recht den gebührenden Lauf zu geben, die Hand büthen sollen.

Es sollen aber in dergleichen Zufällen die gewöhnliche Proclamationes von 14 zu 14 Tagen vorgehen, una cum reliquis de jure servandis, und denn die Confiscatio oder gebührende Strafe erst nach Jahr und Tag und nachdem die Publicatio superabundans wird geschehen seyn, Platz haben.

Mit diesem Hinzuthun, dass jener Richter, welcher die Proclamationes angefangen, wenn er bei letzter Rufung nach Jahr und Tag schon nicht mehr in officio, dennoch das bannum und Confiscation aut cui de jure könne beziehen.

